DE REGIBUS SICILIAE ET APULIAE IN QUEIS ET NOMINATIM DE ALFONSO REGE ARRAGONUM, ...

Felino Maria Sandeo, Marquard Freher, Bartolomeo Facio





7
3 H
48

DE REGIBVS

SICILIAE ET APVLIÆ IN

QVEIS ET NOMINATIM DE ALFONSO Rege Arragonum, Epitome FELINI SANDEI Ferrarienſis IC. ad ALEXANDRVM VI. Pont. Max.

Nunc primum in lucem edita.



ITEM

PARALLELA ALFONSINA

ſiue Apophthegmata Cæſarum Principumq; Germanorum, & aliorum, Alfonſi Regis dictis & factis memorabilibus, per Antonium Panormitam deſcriptis, ſigillatim oppoſita per Æneam Syluium Piccolomineum, Epiſcopum Senenſem, qui poſtea Papa Pius II. Nunc demum & accurate, contra & παραλλήλως compoſita.

Quibus accedunt


BARTHOLOMÆI FACCII GENVENSIS, DE HVmanæ vitæ Felicitate Liber, ad eundem ALFONSVM Arragonum ac Siciliæ Regem.

Item, De excellentia ac præſtantia hominis, *ad eundem* PIVM II. PP.

E Manuſ. nunc primum edita.

Ex Bibliotheca MARQ. FREHERI, cum Præfatione eiuſdem, & Notis.





HANOVIÆ,

Typis Wechelianis, apud Heredes Ioannis Aubrii.

M. DCXI.



ILLVSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO DOMINO, D. PHILIPPO LVDOVICO Comiti in Hanavv & Rineck, Domino in Minzenberg, &c. S. Cæs. Maiest. Consiliario, Domino pergratioso.



PRo multis magnisq; meritis nihil vnquã referre gratiæ, longe minus conueni re sta tuo, quam exiguũ aliquid principi viro offerre. Hoc enim fortunæ inopiam forsitan, illud

)(2

mentis bonæ certò arguere videtur. Longè autem bono viro alienius esse debet, accepti beneficii pariterque sui officii oblitum haberi, quam pariandi facultatem sibi deesse fateri. Ea causa est, Comes Illustrissime, quod cum dignum aliquod meæ obseruantiæ pignus, quale quidem tua abunde testata comitas & beniuolẽtia dudum exigebat, prestare minus possẽ, vel hoc tandem quidquid sit libellorum tibi offerre decreuerim. Neq; tamen nihil in eis est, quo se commẽdare ipsi possint,

ſiue materiem ſpectemus, de Regibus magnis & Dynaſtis; ſiue auctores, minime obſcuri nominis; ſiue ſcribendi genus, vt diuerſitate varium, ſic non vſquequaque contemnendum, &(niſi me omnia fallunt) oculis & lectione tua nō omnino dedignandum. A me vero nihil eos habere, erunt qui cōtendēt: neque ægre ipſe conceſſero. Si tamen nihil eſt, deperditos repeiſſe, ſitu & obliuione ſepultos in lucem reuocaſſe, inuiſos & ignoratos non tantum notos feciſſe, ſed etiam nobiles iſta tui

nominis præſcriptione. Cuius cũ memoria non minus operũ quã virtutũ immortalis futura ſit (quid enim inter homines nobilius, quam nouas claraſq; vrbes excitaſſe, ſcholas non vno loco de nouo erexiſſe & fundaſſe?)poterunt ſub talis patrocinii omine hi quoque ſcriptores veluti renati, aliquam perpetuitatem ſperare, ſiue in Neo-Hanouiæ tuæ chartophylaciis, ſiue Solitariẽſis bibliothecæ forulis nidum aliquem repererint. Meum autem qualecunque quâ in his talibus eruẽdis &

con-

conſeruandis, quâ in virtutibus tuis quo poſſum cultu proſequendis, ſtudium boni conſulere vt dignere, Comes Illuſtriſſime, rogare operoſius me vetãt, illa humanitas tua nemini non nota, illi ſermones ex ore tuo non ſemel à me acutis patuliſque auribus excepti, & mente repoſti. Quapropter verborũ alias conſuetorum vſu abſtineo, publica commoda turbare deſino; & tecum Illuſtriſſima cõiuge ſoboleque & domo inclyta, diu ſolideq; felicem agere & valere iubeo voueoq;. Heidelbergæ Kal. Sept. 1610.

Marquardus Freherus.

FELINI SANDEI FERRARIENSIS IVRISCONSVLTI

De Regibus Siciliæ & Apuliæ, & in his nominatim de Alfonso rege Arragonum,


EPITOME,

AD ALEXANDRVM VI. Pont. Max.

MICHAEL FERINVS MEDIOLANENSIS ad Lectorem.


PArthenopes varias qui nescis ordine clades,
Gestaque ab externis bella cruenta viris:
Et pulsos Reges, conspersaque sanguine regna,
Ex hoc exiguo codice doctus eris.
Cæci mortales totum confundimus orbem,
Alter in alterius dum ruit excidium.
Dum se quisque cupit reliquis præstare. Sed omnes
Commorimur misera conditione pares.

ALEXAN-



ALEXANDRO SEXTO PONTIFICI MAXIMO.





Vm paulo ante desideraſſet à me Sanctitas veſtra, clementiſsime pater, vt, qui Siciliæ, Apuliæque poſſeſſores fuiſſent, quoad breuius fieri poſſet, referrem; collegi mecum pauliſper, librosq; meos (ſunt enim complures) rogaui diligenter, vt & poſſeſſores, & ordinem, & tempora iſtius regni mihi aperirent. Qui poſteaquam decendium ex tantæ rei indagine mecum ocio furtim ſubtracto occupaſſent, Feline, inquiunt, etſi manſuetiores noſtræ Muſæ nihil cum tuis ſtudiis commune habere videantur, per te tamen Pontificis clementiâ his ædibus collocati, voluntati tuæ morem non gerere, nefas duximus. Quæ cupis, ſparſa ſunt, & nullis adhuc plene congeſta ſcriptoribus: ex diuerſis tamen ſummulam contraximus,

quæ verum beati Petri successorem (in cuius patrimonio regnum istud esse nemo ambigit) multa, vt speramus, varietate iuuabit. Accipiat itaq; Sanctitas vestra, pater clementissime, sereno vultu Summarium, cum quo ad varietatem rerum regni huiusmodi (mea quidem sententia) facilior his aperietur via: qui & ocii, & studii, & ingenii, & eloquentiæ aliquanto plus consecuti sunt, quam Felinus, quem coaceruatæ in horas curæ etiam oscitare non sinunt. Incolumem, & mei memorem Sanctitatem vestram conseruet Dominus Deus noster, pater candidissime.

EPITOME DE REGNO APVLIÆ, & Siciliæ, reducens summatim in vnum, quæcunq; de eo tangunt Historici incidenter & sparsim, dum vniuersaliter rerum omnium gesta describunt.

CAPVT I.

CIvitas Neapolitana paulo vltra trecentesimum annum neque Regia sedes, neq; in iis oris regnum, aut regium nomen vllum erat. A supero mari Græci Imperatores, ab Infero nostri, & ipsis inter se dissidentibus imperabant: gubernabantur hæ regiones variis sub Ducibus, qui & ipsi Imperatoribus parebant. Hæc Poggius in libro primo de Varietate Fortunæ, quem edidit tempore Nicolai quinti.

Belisarius declaratus à Iustiniano dux belli in Siciliam cum classe nauigauit, simulans se in Aphricam nauigaturum, ex improuiso Siciliam in deditionem recepit. Digressus in Dalmaciam multis gestis rediit in Siciliam, quam illico pacatam inuenit. Et è Messana soluens Rhegio in deditionem accepto peruenit Neapolim. Stephanus quidam magnæ auctoritatis Neapolitanus ad eum missus obtinere nequiuit, quod omissa vrbe Neapolitana Romam tenderet. Motus fuit populus, & factionem Gothorum iam animis perditorum erigere conatur: miles quidam Isauricus nomine docuit Belisarium posse vrbem capi immisso milite per foramen petræ, cui aquæ ductus inerat. Vnde ampliato per fabros foramine, simulatoque apparatu ad muralem pugnam quadringentos electos per foramen immittit, & signo ex quodam tu-

Iohannes II. 537.

Simili arte vsus Alfonsus Rex eius nominis primus vt infra.

mulo dato classi pari crepitu dux respondit: mox scalis appositis repente vrbs capitur: vbi Belisarius graui oratione milites ad prudentiam, & moderationem inflammauit, & Romam duxit. *Hæc ex Blondo decade prima libro 4. in principio fol. 29.*

Vigilius Papa. 545. Totilas Rex Gothorum magna prælia contra exercitum Iustiniani, Belisario in Græciam reuocato, in Italia gerens, multa loca pactione acquisiuit. In Flaminiam, inde in Campaniam profectus Beneuentum captum muris nudauit, Neapolim obsedit. Interim Cumas, & alia loca cepit Iustinianus, ex his, & ex successorum Belisarii desidia commotus, misit in Italiam Maximinum, & Demetrium, vt primo Siciliam, mox Italiam iuuarent. Totilas Neapolim obsidens, primo classem Demetrii timuit, mox videns milites Romanos non audere classem Græcam ingredi, omnia conspicatus, venientem Demetrium fudit, & fugauit. Maximinus aliam classem collegæ concessit, quæ cum Demetrio à Totila capta est: Totilas tandem Neapolim capit, nemine læso hostes captiuos dimisit, qui cum suis erat seuerissimus. Belisarius, qui contra Cosdroam Regem Parthorum belligerabat, iterum ad Italiam cum quatuor millibus militum à Iustiniano mittitur, & primo Hydruntum ab obsidione liberauit, postea cum Gothis ardua circa Romam gessit. *Ex Blondo, vbi supra, libro 6. in principio folii 45.*

Anastasius III. Sarraceni Aphricæ Apuliam occuparunt. Ita Matthæus Palmerius in supplemento Eusebii de temporibus; sed in supplemento historiarum scribitur, quod anno DCCCCIV. tempore Theodori Papæ secundi, Sarraceni Aphricæ Siciliam, & Apuliam ingressi, occupato Gargani monte, magnam hominum ac pecorum vim cepere. Quo audito Itali tumultuaria manu comparata magnam ex hostibus edidere stragem, & prædam omnem recupe-

recuperarunt. Johannis Consilio Sarraceni, qui Romanorum fines vastabant bello, victi sunt: cum enim Sarraceni, quasi dominarentur in Italia, primo prope vrbem deuicti sunt, demum Iohannes Papa decimus cum Alberico Marchione intrans Apuliam contra Sarracenos apud Gargilianum, & cum eis durum bellum agentes victores effecti sunt, & Romam reuersi magno honore recepti. *Archiepiscopus Florentinus secunda parte historiarum, fol. 182. post Ioh. de columna.* *Iohannes X.*

Landulphus Princeps Beneuentanus vicit Græcos in Apulia; Illi Sarracenos in Italiam vocant, qui ex Calabris, & Apulis in Lucanos mouentes Romæ exitium minabantur, Johannes X. cum Alberico Hetruriæ Marchione ad Lirim fluuium, quem Cerglianum vocant apud Minturnas, eos superat. Quæ in littore Italico obtinebant incenderunt; postea tamen mutata sententia occupato monte Gargano omnia ibi incursionibus vexabant. *Ex Platina in Iohanne decimo.*

Romanus quidam re & nomine Constantini Imperatoris Græci Filii Leonis imperatorem se faciens, Sarracenos inuocauit ad debellandos Calabros & Apulos. Sarraceni nedum eas regiones debellarunt, sed ad internecionem vsq; deleuerũt, & victoria elati dominos se fecerunt spreto Græco, & de Roma subigenda agebant. Iohannes Papa X. vocat Albericum Hetruriæ Marchionem, qui exercitu delecto Sarracenos fugauit: illi montis Gargani arcem communientes, ibi sedem receperunt, ex qua Italiam postea sæpe vexarunt. *Blondus 2. lib. historiarum fol. 116.* 919.

Albericus, vt quidam volunt, sicut refert Blondus, frater fuit Iohannis X. per ingratitudinem Roma pulsus. Vide Blondum.

Capvt II.

Otto contra Apulos, & Calabros bellum mouet, eo quod parere Imperatori Constantinopolitano non desistunt: Græci comparato exercitu mercenario in Ita- *Benedictus. VII.*

Otho II. primi Othonis filius. liam contra Ottonem transeunt, & statim magna eorum strage superantur. Quare Otto vniuersam prouinciam possidet, & Beneuentum quod Græcas sequebatur par-
983. tes, capit. *Matthæus Palmerius, vbi supra.*

Anno octauo imperii Ottonis secundi Imperator Apuliam, & Calabriam ad ius regni Græcorum appendentes ad Romanum Imperium conatur transferre, maxime propter affinitatem, quam per vxorem suam Theophaniam cum Imperatore Græcorum habebat.

Anno nono Græci infensi quod Imperator Otto prouincias Græcorum inuaderet conducto sibi Sarracenorum auxilio, Imperatori in Calabria bello congrediuntur, in quo bello omnes pene Romanorum copiæ vsque ad internecionem quasi deleti sunt. Imperator natando nitens euadere, à nautis ignorantibus eum, capitur, & à quodam eorum, qui erat negotiator, agnitus, nec proditus, tandem liberatus pecuniâ. Anno decimo Otto Romæ moritur. *Hæc Antoninus in Ottone II. iste videtur variare à libro Eusebii in proximo dicto: & hoc forte melius per sequentia.*

Ottho Secundus intelligens quod Gofredus Campaniæ Comes inductus à consulibus & senatoribus Romanis miserat Iohannem Papam XIII. in Apuliam, vt exulem, Romam ingressus sumpsit supplicium de magistratibus. Dum ista percurrunt, Sclaui facti Christiani tempore Adriani secundi Sarracenos ad Garganum sedentes expulerunt, & Hungari post Sclauos copias Sarracenorum, quæ remanserant, ex omni Italia repulerunt.

Pandulfus Capuæ Princeps nomine Caput Ferreum, ostendit repelli posse Sarracenos, qui Italiam turbabant, si copiæ, quas Otto Capuam adduxerat, inde Calabriam mitterentur: Sarraceni hoc solum per famam audito, in patriam nauigarunt.

Otto

Otto Secundus fugauit Græcos ex Apulia, qui prohibebant ſibi tradi filiam Nicephori Imperatoris Conſtantinopolitani, quem ob id occiderant. Baſilius, & Conſtantinus Conſtantinopolitani Imperatores contra Ottonem bella gerunt, & pulſis primo Creta Sarracenis, Apulia & Calabria per deditionem potiti ſunt, quæ loca amiſerant Nicephorianis temporibus.

Iohannes XX. 1020

Otto conſtituta pace cum Lothario Rege Francorum venit ad Italiam expulſurus Græcos Imperatores: Sclauonia, & Dalmacia inuaſa, coacto poſtea Romæ exercitu in Apuliam tendit, vbi à Græcis fractus aufugit, adeò viribus eneruatus, vt Græci, ſi victoria vti ſciuiſſent, facile potuiſſent Roma vbique potiri. Otto fugiens ſcaphæ ſe commiſit, & à pyratis, eum ignorantibus in Siciliam delatus Romam remittitur, vbi Beneuento deleto obiit. *Blondus 3. lib. ſecundæ decadis folio 122.*

CAPVT III.

CAlabria & Apulia erant hoc tempore in ditione Michaëlis Catalaici Imperatoris Conſtantinopolitani. Guielmus Normannus cognomine Ferebach Hetruriæ partem per omnem Romandiolam tunc poſſidebat, confœderatus eſt tribus potentatibus, Capuano, Salernitanoque principibus, & Malocho Græco Calabriam & Apuliam pro Imperatore Græco tenente. Hi quatuor Siciliam occuparunt, expulſis Sarracenis, Malochus æqualiter prædam diſtribuit, Siciliam vero pro ſuo Imperatore Græco retinuit. Indignatus Guielmus Ferebach, & iniuriam diſſimulans, cęteris reuertentibus ad propria, ipſe Apuliam inuaſit circumdans Melphiam: Malochus ad hæc aduolat, & exercitu à Ferebach fracto fugatus eſt, inde Guielmus multa eius regionis parte potitus. *Blondus lib. 3. fol. 123.*

Sergius IV. 1007. *Guielmus eius nominis primus dictus Ferebach Apuliæ dominus.*

Huic Guielmo Tancredus Normannus pater fuit, qui duodecim ex duabus vxoribus genuit filios apud Normandiam: vbi cum eorum sumptibus premeretur, Italiam veniens, primo in Romandiola substitit. Et filii talia contra Salernitanum, & alios Principes gessere facinora, vt eos senserint omnes, suo malo, esse viros præstantissimos. *Supplementum Chronicarum.*

Comite Guielmo defuncto frater eius Drogo Apuliam obtinuit, quem missus à Constantinopoli Melalter, aliàs Melem Catipanus imperiali primo impetu Apulia pene omni expulit. Drogo exercitu instaurato, Græcorum superatis copiis, perdita de Apulia recepit. Hic cum septem annis Comitatum tenuisset, moriens Gotifredum fratrem habuit successorem.

Henricus Romam veniens à Benedicto coronatus est, Sarracenos ex Capua expulit, & cepit Troiam vrbem in Apulia ædificatam à Græcis nouiter, vt eorum esset tutum refugium ad infestandos Italorum fines. Blondus lib. 3. Per id tempus defuncto apud Constantinopolim Michaële Catalaico Imperatore, successit Michaël Etheriachis, ad cuius tempora Normanni Apuliam tenentes, & Græci prælio inter Aufidum amnem, & Oliuentem oppidum acerrimo concurrerunt. Normani victores.

Benedictus VIII.

1010.

CAPVT IV.

CVm sæpius inter se confligerent Duces illi prisci, de quibus supra in principio, superuenerunt Robertus, & Ricardus Normanni, minuendæ multitudinis causa domo in Apuliam profecti, dum bellantibus inuicem Italis opem ferunt, gloriam, & opes auxere. Nonaginta ferme annis Normanni magna cum laude diuersis Præsidibus cum militassent, tandem Ducem sibi præficiunt Trista-

Tristanum cognomento Cistellum, dum in Ducis Salernitani præsidiis essent. Huic, veneno quem occiderant serpentis, defuncto successit Ranno, qui Auersam vrbem condidit: post hunc Carolus Capuæ Princeps, quem Iordanus filius, & Ricardus nepos secuti sunt, deinde Drogo Tancredi ex Altauilla filius, Princeps Normannorum factus, ac Neapolitani Comitis Nasonis proditione occisus, successorem fratrem habuit Hunfredum, qui vniuersam Apuliam sibi subegit. *Hæc Poggius de varietate fortunæ lib. 1. fol. 24.*

Capvt V.

Robertus Guiscardus è Gallia cum exercitu profectus Apuliam obtinuit, fugatis ex ea prouincia Græcis, atque Aphris, qui sub Italorum contentione illam possidebant. *Matthæus Palmerius.* *Robertus Guiscardus.*

Leonis tempore teste Iohanne de columna, quem sequitur Antonina, *fol. 185.* Normanni magnam Apuliæ partem occupatam tenebant, nec Romanæ Ecclesiæ in aliquo respondebant. Habuit ergo ab Henrico quarto exercitum magnum ad eos debellandos, tandem cum exercitu à Principe Normannorum captus est, nec voluit relaxari, quod sui non relaxabantur, & post multa sancta opera obiit. Drogone Normannorum Comite in Apulia mortuo, Gisulphus frater regnum adeptus, Beneuentum vrbem Romano Pontifici deditam vi occupat: Leo suo iure, & copiis Imperatoris fretus cum in Gisulphum incomposito agmine mouisset, ab eo superatur, & capitur, nec ita multo post Romam incolumis remittitur. *Platina in Leone nono.* *Leo IX. 1053.*

Idem sunt, qui scribant Robertum Guiscardi è Gallia in Italiam cum exercitu profectum fugatis Græcis, &

Apliris Apuliam occupasse: & thesaurum inuenit consilio Sarraceni magici.

Pandulfus Hostiarius Lateranensis Ecclesiæ in additionibus ad Chronicam Damasi Papæ de Pontificibus ita scribit in Leone nono: Hic sua prædicatione omnes Normannos & Francigenas ad destruendam superbiam illorum, qui in partibus Apuliæ commorabantur, deduxit, quoniam superbia eorum in tantum creuerat, quia totam terram in suo posuerant dominio, & B. Petri vicarii nihil ibi iuris aut dominii retinebant. Qua deniq; victoria facta, & tota terra suo dominio reddita, ad vrbem cum pace rediit. Glossa super istis verbis dicit, quod hoc est simile illi, quod postea fecit Vrbanus IV. vocans Carolum fratrem Regis Ludouici contra Manfredum: sed per rationes & iura ostendit, quod Papa potius debet omnia mala pati in temporalibus, de quibus Christus non curauit, quã pro terrenis diuitiis ponere in Italia belliferas societates, & sanguinem Christianũ ponere in effusione. Nunquã ex hoc fuit Romana Ecclesia prosperata secundum eum. Pro quo facit quod scribit idẽ Pandulfus paulo post in Gregorio VII. referens, quod Gregorius mandauit in Concilio Lateranensi Normannis vt dimitterent terras Ecclesiæ sub interminatione anathematis. Dixit ibi glossa: isti Normanni fuerunt ducti à Leone IX. vt iuuarent Ecclesiam, & modò occupãt Romanæ Ecclesiæ terras. Non est igitur nouum, quod faciunt hodie malæ societates in Italia secundum glossam.

Et notandum quod licet Leo personaliter iuerit ad domandos occupatores Apuliæ, tamen eũ in hoc damnat Iohannes de Columna, vt refert Archiepiscopus, dicens, quod licet pio animo hoc egisset, tamẽ hoc ei non fuit decens, quia quodcunq; vetitum fuit Petro, cui dictum fuit, pone gladium, idem etiam vetatur & successoribus. Et ad

hoc

hoc seruit, quod scribit Petrus Damianus, quem scribunt ex Cardinalatu ad religionem transisse: nam in quodam opusculo summato per Archiepiscopum, *3. parte fol. 203.* damnat Prælatum, qui pro tuendo iure temporali etiam præsentialiter assistit armatorum conflictibus. Si obiiciatur, Leonem Papam bellum gessisse: respondet, non ideo Petrum factum Apostolorum Principem, quod negauit, nec Dauid ideo Prophetam, quod mæchatus est: bona enim, vel mala non de meritis habentium, sed de propriis qualitatibus debent æstimari. Gregorius multas rapinas, & violentias à Longobardis passus est; Ambrosius ab Arrianis; vterque sola patientia dimicauit secundum eum.

Pogius de fortuna. Cum Hunfredus vniuersam Apuliam sibi subegisset, filium Roberto fratri, quē propter versutiam Guiscardum cognominabat, moriens tuendū dedit: is nepotis viribus vsus Calabriam, Siciliamq; cum sibi subdidisset, Græciam, Aphricamq; bello lacessiuit. *Blondus lib. 3. fol. 126.* Gotfredus Normannus, qui Drogoni fratri in Comitatu Apuliæ, & Calabriæ successerat moriens instituit Bagelardum filium, quem Robertus cognomento Guiscardus Gotfredi frater expulit. Et Robertus solidissimū robur prudentiæ addere constituens, procurauit reconciliari, & confœderari cum Romana Ecclesia: & cum Oratoribus suis reuertentibus in Apuliam accessit Nicolaus Papa II. & Robertus ab excommunicatione absolutus, factus est Dux Calabriæ & Apuliæ, & vasallus Ecclesiæ, vnde cęteri capitanei deleti. Iste Robertus multa fecit pro Ecclesia præcipuè in tutando Gregorio septimo contra Henricum III. Imperatorem, qui Robertum vehementer timuit, nam ab eius faucibus bis liberauit Gregorium, & cum semel superasset Alexium Imperatorem Græcorum, in culmine victoriæ destitit, vt iret Romam iuuaturus Gregorium contra Henricum, prout fecit, vbi etiam ma-

Nicolaus II. 1059.

Robertus Guiscardus.

Dux Calabriæ.

gnam partem vrbis incendit pro liberatione Gregorii in arce Hadriani obsessi. Obiit anno Do. MCLXXXVI. annorum LXII. valde laudatus ex multis virtutibus, sed vltra æstimationem; teste Antonino Archiepiscopo, dominii appetitor.

CAPVT VI.

Alexander II. 1073.

REuerso Alexandro Romam ex Concilio Mantuano contra Cadolum celebrato, Ricardus frater Roberti Guiscardi, & Guielmus eiusdem Ricardi filius, Capua subacta, & Beneuento inuaso Ceperanum obsidebant. Robertus horum fortè insons in expeditione contra Græcum in Brundusio intentus erat cum Gotfredo fratre, vbi Panhormo & Trana vrbibus potiti nihil Guielmo, & Ricardo præsidii attulerunt.

Ildebrandus Archidiaconus, qui postea successit Alexandro II. dictus Gregorius VII. cum Gotfredo, & Matilda vxore coëgit Ricardum & Guielmum capta de terra Ecclesiæ restituere, & Romam cum exercitu reuersi sunt valde honorati. Gregorius VII. celebrans Concilium Laterano, vbi etiam fuit comitissa Matildis, excommunicauit Robertum Guiscardum, & cæteros Normannos, eo quod nouiter occupauerat terram Ecclesiæ de Marchia Anconitana, quam nunc Firmanam appellant. *Hæc Blondus 3. lib. fol. 129.*

De Roberto Guiscardo ita scribit Otto Episcopus Frisingensis *in lib. de gestis Friderici primi folio 7.* Robertus iste ex mediocri stirpe in Normannia ex eorum militum ordine, quos valuassores vulgo ibi dicere solent, in plaga, quam Constantiam dicunt, & editus cum Rogerio fratre tam pa ri famis tempore morem gerens, quam ob locorum sterilitatis molestiam à natali solo progressus, multo tempore per multas prouincias opportunitatem ad inhabitan-

bitandam terram quærens, oberrauit: Vnde & ab oberrandi circuitu patria lingua Guiſcardus tanquam aberrator, vel gyrator appellatus eſt. Cum ergo non paucis, vt dictum eſt, diebus multarum regionum gyrator exiſteret, à citeriori Italia, quæ modò Apulia, ſeu Calabria dicitur, tandem excipitur. Quam dum à Longobardis poſſeſſam inertis plebis inhabitatione tanquam induſtriæ defenſionis vacuam inueniret, remiſſis in Galliam nuntiis, expoſitaque locorum idoneitate, ac gentis inertia, ad expugnationem earum ciuitatum & ſocios inuitauit, &; ne multis detinear, virtute, dolo, arte ignaui populi victor exiſtens, Campaniæ, Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ ad vltimum poſſeſſor inuentus eſt: reliquit autem Rogerio fratri ex parte ſui Comitatum Siciliæ tenendum, ipſe vero Ducatum Apuliæ cum Calabria ſibi retinuit. Huius filius, qui multa poſtmodum tam in Græcia, quam in cæteris Orientis partibus fortia, & glorioſa geſſit opera, Bohemundus fuit, fratris vero ſui Rogerii Rogerius, qui poſtmodum nomen Regium vſurpauit, natus erat huius qui in præſentiarum eſt Guielmi pater. *Hæc ille.*

Capvt VII

Rogerius filius Roberti Guiſcardi ſucceſſit ei defuncto in Ducatu Apuliæ, qui magis munificentia quam potentiæ auſteritate bene rexit. Boemundus frater eius anno [illegible] Ducatus bellum ei intulit, & non longa [illegible] [illegible] ſibi ſuccubuit, vno tantum homine in eo p[illegible] occiſo [illegible] ſunt data Boemundo Principatus Ta-rentinus pro ſe, & hæredibus. Rogerius accepit [illegible] Roberti Friſonis Comitis Flandrenſium, quæ fuerat Regina Danorum, ex qua poſt duos defunctos natus eſt *V. Ilar III. 188.* *Boemundus.* *Vrbanus II 159.* *Reg. Roberti Guiſcardi.*

Guielmus, qui patri successit in Ducatu, sed postmodum sibi coronam imposuit. *Archiepiscopus 2. parte fol. 197.*

De his sic summatim ex *Blondo lib. 3. secundæ decadis fol. 134.* Bohemundus frater Rogerii prælium commisit cum Rogerio non cruentum, nam Comites paterni vtriusque exercitus pacem composuerunt, vt Bohemundo pars obueniret Ducatus Apuliæ, Rogerius titulum & cætera retineret, quæ pater possedisset de Italia.

Sic Rogerium inuestiuit Vrbanus secundus in Concilio Melphitano. Cepit Rogerius Siracusas, & in vxorem Halam filiam Roberti Frisonis Flandrensium Comitis, ex qua natus est Guielmus.

Bohemundus non contentus concessione fraterna, bellum ei intulit, & Melchiam furto surripuit, confœderatus etiam cum Ricardo Beneuentano Principe paterno hoste, qui fratrum discordia vsus in patriam est reuersus, & fauit Giberto Antipapæ Pascalis secundi. Postea tempore Vrbani secundi Bohemundus restituit Rogerio Melphiam, & se cruce signauit, & Rogerius soluta obsidione Melphiæ liberum fecit militibus vt cuiq; liceret sequi Bohemundum in Græciam, vbi Bohemundus multa fecit ab omnibus historicis laudatissima. *Blondus.*

Rogerius Guiscardi Ducis Apuliæ natu minor anno 1085. patre in Casiopa insula defuncto successit, & regnauit annis 25. & vbi iniit Ducatum, Capuam, & quæcunque inde vsque ad Tyberim ad Pontificem pertinebant, abstulit. Cum Bohemundus eum his inuestasset, tandem virtute ipsius motus Rogerius arma deposuit, & omnia secum voluit esse communia, filiumque suum Tancredum pugnandi cupidum belli Comitem tradidit. *Supplementum.*

Pogius de varietate fortunæ. Defuncto Roberto Guiscardo filius ex secunda vxore Rogerius successit:

quo

quo & filiis mortuis, Rogerius patruelis Rogerii Comitis Siciliæ Viscardi fratris filius, solus imperium tenuit. Hic Rogerius per dissensionem Honorii II. & Anacleti Pontificum, cum Anacleto adhæsisset, Rex ab eo primus Siciliæ & regni Neapolitani factus est anno MCXXX. Dux strenuus, & potens armis, qui & ipse in Aphricam classe transiens Tripolim, Punisumque vi cepit, & multas præterea vrbes in littoribus sitas. Hinc ad Guielmum regnum peruenit, multi inde Reges vsque ad Robertum Iohannæ Reginæ patrem varia fortuna exstiterunt. *Hæc Pogius* aliud vsq; ad Iohannam primam non referens. *Rogerius primus Rex Apuliæ.*

Errat Pogius, quoniam Anacletus non fuit Antipapa Honorii II. sed bene Innocentii II. sui successoris vocabatur Anacletus. Petrus Leonis ciuis Romanus potentissimus, qui in Concilio apud Claromontem operante Sancto Bernhardo superatus est. Et de illo schismate late Archiepiscopus *2. parte fol. 218.* vbi quoad propositum sic scribit:

Rex Siciliæ Rogerius solus de Principibus Innocentio, non obediens misit ad Petrum Leonem, vt Petrum Pisanum sibi à suo latere delegaret, confidens in eloquentia Petri Pisani, sed Sanctus Bernhardus ipsum Petrum Pisanum reconciliauit. Post triduum Petrus Leonis impœnitens moritur, & cadauer eius in latebris sepelitur, etiam vsque hodie à Catholicis fouea illa ignoratur secundum Archiepiscopum. Ergo apparet quod inuestitura Anacleti facta titulo regio ipsi Regi fuit inualida. Et concordat latius *Platina in Innocentio II. in principio.* *Titulus Regius datus Rogerio ab Anacleto inualidus.*

Rogerius Siciliæ Comes obsessam aliquandiu Canusium cepit, & paulo post vita est functus, cui in Siciliæ Comitatu alter Rogerius ex fratre nepos successit. *Paschal. II. 100.*

Paſcalis egens pecunia propter Gimbertum Antipapam, Albæ Marſorum agentem, habuit à Rogerio in gratiam recepto, & reconciliato mille vncias dono. Poſtea expulit Gimbertum de ciuitate Alba auxilio Romanorum, & ille profugus ſubita morte ſublatus eſt.

CAPVT VIII.

Honorius II. 1127. Guielmus II. nomine Normannus. Regnum deuolutum finita linea Guiſcardi.

GVielmus Rogerii Ducis filius Apuliæ & Calabriæ Dux ei ſuccedit. Hic Guielmus poſtquam regnaſſet annis 16. Ducatu Apuliæ, & Calabriæ à Rogerio conſobrino deiicitur, & apud Salernitanum Principem ſine hæredibus moritur, & in eo omnis Roberti & Guiſcardi familia per lineam maſculinam defecit.

Inierat Guielmus ad Alex. Imperatorem Conſtantinopolitanum, filiam ei promiſſam ducturus, & prouincias ſuas Calixto II. commendauit. Sed Rogerius altero Rogerio genitus, eius ex materna linea conſobrinus, Siciliæ Comes, Calixto contempto abſentem ſpoliauit, qui vt dictum eſt apud Principem Salernitanum obiit.

Per hæc tempora Guielmus Rogerio genitus Roberti Guiſcardi filio Apuliæ Dux, & Gordanus Dux Capuanus, & Gordanus Arriani Comes conuenerunt ad Calixtum primum, qui præceſſit immediate Honorium II. quos ſacramento adactos Romanæ Eccleſiæ homines ligios confirmauit. Guielmus optauit in vxorem filiam Alexii Imperatoris Conſtantinopolitani pridem vita functi. Et priuſquam iret Conſtantinopolim dedit Calixto in tutelam Ducatum Apuliæ, & cæteram terram, de Italia vſque ad fretum Siculum, eo tum Ducatu comprehenſam, Rogerius iſtis contemptis dimidiam Calabriam inuaſit. Calixtus ex Beneuento Romam rediit infirmus, & Rogerius Apuliam ſubegit. Guielmus vxoris ſpe fru-

ſtratus

ſtratus in Italiam rediens ad affinem Salernitanum Principem confugiens, ibi nullis relictis filiis obiit. Ex eo tempore Rogerius ſe Regem Italiæ appellare cœpit. Calixtus celebrauit Concilium Lateranenſe nongentorum Epiſcoporum, in quo Eccleſiaſticum ſtatum reformauit. *Blondus 2. parte lib. 4. ad finem.*

Capvt IX.

Rogerius autem Siciliæ, & Apuliæ poſtea Rex non ſe Calabriæ Ducem Siciliæq; Comitem, ſed Italiæ Regem appellare fecit, atque in eo titulo XXIII. annis regnauit. 1127. *Rogerius Rex eius nominis ſecundus.*

Innocentius II. ex Concilio Claromontenſi reuerſus Piſis aliud concilium celebrauit. Interim Romani ſuaſu Rogerii caput erexere ex Anacleto Antipapa. Quare Lotharius Imperator ab Innocentio vocatus eſt, & claſſis Piſanorum, qui Innocentio fauebant Amalphiam & Riuelum ducens vtramque vrbem cepit. *Innocentius II.*

Pontifex autem & Lotharius terra profecti, prius Barulum vſque duxerunt, quam populum offenderint contraria ſentientem. Rogerius ſibi timens dum in Siciliam confugiſſet omnia amiſit, quæ in terra Itala occupauerat, cui terræ cuſtodiendæ Pontifex Rainonem Lotharii Imperatoris Comitem præfecit, attributo Ducatus Apuliæ titulo. *Archiepiſcopus.*

Innocentius II. cum in Galutio oppido Rogerium obſideret, ipſe cum multis Cardinalibus captus eſt à Guielmo filio Rogerii. Rogerius ipſum liberauit, nihil deinceps fruſtra petens ab Innocentio: imo Innocentius ab Anacleto Antipapa Roma pulſus eum deſignauit Regem vtriuſq; Siciliæ. Vnde animo elatior multa in Aphrica geſſit. Tuneſii regnum fecit tributarium: Con-

stantinopolitanum Imperatorem afflixit: demum ex Sicilia rediens, amissis opera Venetorum 20. triremibus, fuga euasit, & postea Panhormi moriens Guielmum filium habuit successorem. *Blond. lib. 5. 2. partis.*

Late *Marcus Antonius in historia Veneta fol. 38. ad fin. versic. dum hæc domi*, vbi subdit: per id tempus Robertus Veneti nominis hostis decessit, qui post multa præclare gesta, cum & Thuneta in Aphrica subegisset, illud viuens regio ensi inscribendum curauit:

Apulus & Calaber, Siculus mihi seruit & Apher.

CAPVT X.

Hadrianus II GVielmus Rogerii Regis filius secundus Siciliæ, & Apuliæ Rex hoc anno patri successit, regnauit an-
1156. nis 12. Defuncto patre mox Beneuentana suburbia, Ce-
Guielmus II. Rex Siciliæ Normannus peranumque, ac Babucum in Hernicis de Ecclesia occupat. Inde Hadrianus eum anathemate notat, & induxit Emanuelem, Græcorum Imperatorem, vt ei daret quinque millia librarum auri, & Guielmum etiam fugaret, tres Apuliæ ciuitates ex fœdere habiturus. Quod intelligens Guielmus multa obtulit Pontifici, vt eum placaret. Et placuit Hadriano oblatio, sed quidam Cardinales restitere: Vnde Guielmus indignatus omnia in Apulia bello attriuit, & Apuli, & Salertini deditionem fecere. Pontifex indignatus contra Cardinales Guielmum in gratiam recepit, & vtroque regno eum inuestiuit, iurantem se Romanam sedem veneraturum. Inde Apuliæ Reges singulis annis vectigal Pontifici persoluere consueuerunt. *Supplementum.*

Dum Hadrianus IV in Laterano celebraret sanctum pascha, allatus est nuncius, quod Guielmus Siciliæ Rex, qui paulo ante Rogerio patri successerat, occupa-

uerat

uerat Beneuenti suburbia, & Ceperanum, Babucumque oppida, & hostiliter Romanæ Ecclesiæ ditionem vexabat. Commotus Hadrianus eum excommunicauit, & titulis regni priuauit, proceresque, & populos à iuramento fidelitatis absoluit. Venerunt postea Romam proceres Apuliæ, & Calabriæ, rogantes enixe Hadrianum, vt eos liberaret à tyrannide Guielmi Normanni. Dum Pontifex se ad iter omni cum exercitu parat, venit nuncius ab Emanuele Imperatore Græco offerens ingentem summam pecuniæ Pontifici, & se Guielmum expulsurum si ei tres in Apulia ciuitates permittat. Guielmus hoc audito Pontifici se humiliat multa offerens, & totidem pecuniarum Pontifex acceptasset, ob suspectam, veteremque Græci inimicitiam, sed Cardinales Græco fauebant. Guielmus in Apulia iam arma mouerat superatis Græcis: proceres qui Pontifici iurauerant, defecerunt ad Guielmum. Pontifex simulans ire Romam præmisit Cardinales, mox Guielmus pedibus eius prouolutus solita regni vtriusque iura noua infeudatione obtinuit. *Ex Blondo lib. quinto secundæ decadis, fol. 159.*

CAPVT XI.

MOrtuo Guielmo, qui magnus nuncupatur, successit Guielmus tertius eius filius Siciliæ, & Apuliæ Rex, & regnauit annis 25. Pacis cultor: sua pecunia & triremibus iuuit Alexandrum in discrimine cum Friderico Barbarossa constitutum, vt fugeret. Postea multa fecit in Asia, & Saladinum domuit, & bello Christianorum Hierosolymitano maximam opem præstitit. demum Panhormi sine filiis decessit.

Alexander III. 1168.

Hic regnum Siciliæ ad Ecclesiam deuolutum.

CAPVT XII.

Clemens III. 1189. Tancredus Rex Siciliæ. Non ergo regnauit Guielmus 25. annis ſed 20 Electio nulla quod illegitimus incapax feudi Eccleſiaſtici.

TAncredus eligitur hoc anno à proceribus inſulæ, mortuo Guielmo ſine legitimo hærede; nec quantum regnauerit, conſtat: hunc tamen ferunt ex damnato coitu genitum. Vnde Clemens Pontifex iura ſua repetiturus ſtatim copias eo miſit, quibus dum Tancredus reſiſteret, omnia rapinis & cædibus repleuit. Quas ob res mortuo Clemente Celeſtinus tertius ſucceſſor vt intruſum in regno domaret, Conſtantiam Rogerii Regis filiam è monaſterio Panhormitano occulte traxit, eamꝗ;, licet profeſſam. Henrico quinto Friderici Barbaroſſæ in Armenia defuncti filio vxorem dedit, hac conditione, vt regnum Siciliæ, & vltra Pharum ei dotis nomine repeteret, feudatario cenſu Pontifici reſeruato. Henricus igitur comparato exercitu in Tancredum mouet: cuius aduentu territus Tancredus Neapolim ſe contulit, & incluſit, quem poſt multam obſidionem interfici curauit. Cui Guielmus filius ſucceſſit. *Ex Blondo lib. 6. ſecundæ decadis fol. 172.*

Conſtantia ex Monaſterio extrahitur. Blondus appellat ſextum, cæteri quintum.

CAPVT XIII.

Celeſtinus III. 1190. Henricus V. Sueuus, Imperator, Rex Apuliæ & Siciliæ.

HEinricus quintus filius Friderici primi cognomento Barbaroſſa maritus Conſtantiæ eductæ ex monaſterio Siracuſa & Cathania vrbibus ſibi nomine dotis aſſignatis, Tuſculanum agrum Celeſtino tradidit, qui mox receptus à Romanis dilaceratus eſt. Nam Tuſculum ſolo æquarunt, & ruinarum illius ſaxa Romam delata ſeruantur in cliuo huius temporis Capitolino. Hoc fuit in vindictam illius magnæ cladis, & ſimilis Cannenſi, quam tempore Alexandri tertii receperunt Romani à Tuſculanis, iuuante Rainone germano, duce Apuliæ ab Innocentio II. deſignato. Nam teſte Blondo durauit effectus

illius

illius cladis, Romam eneruans, vsq; ad tempora Eugenii quarti, in quibus lautiori cultu cœpta est Romæ instauratio. Henricus & vxor ab obsidione Neapolitana propter pestem desistentes, in Alemaniam rediere. Capta Neapoli ab exercitu Tancredus, & Guielmus filius interfecti sunt. Quia vero in Episcopos sæuitum est, Celestinus Heinricum excommunicauit, mox absolutum ad se in Italiam vocauit. Constantia secum adduxit filium quadriennem, qui postea fuit Fridericus II. impius hostis Ecclesiæ. Ita Henricus capta Neapoli citra, & vltra Pharum regnum accepit: demum mortali ægritudine laborans Heinricus filium & vxorem ad Innocentiam III. m sit. Philippo germano suo Hetruriæ Duci Romani imperii, & regni Siculi quousque filius adoleuisset, administratio, quantum in se fuit, est demandata. Obiit Panhormi. Tamen Innocentius III. orta dissensione inter Philippum, & Otthonem Regem Saxoniæ, Lotharii olim Imperatoris pronepotem, pronunciauit, (vt in cap. venerabilem. de electione) Otthonem Imperatorem, quia Heinricus, & Fridericus pater fuerunt de Ecclesia male meriti.

Capvt XIV.

Fridericus eius nominis secundus ex Constantia Normanni Regis filia olim professa natus, in Apuliæ regnum paruulus successit, defuncto Heinrico quinto, imperauit annis XXXIII. Mater videns cuncta tumultu repleri, regnum præsidio communiuit. Otthone demum ab electoribus priuato Fridericus subrogatur, & ab Honorio confirmatur, & in Siciliæ regnum restituitur. Hic quia Ecclesiam, vt late ponūt historici, lacerare cœpit, demum ab Innocentio IV. dignitate priuatus est: quem *Innocentius III.* 1200.

floccifaciens, & omni Italia od is incensa, positaque Petri nauicula in crebris naufragiis, in Apuliam traiiciens graui morbo laborare cœpit, & à Manfredo filio spurio ex ancilla suscepto tunc Principe Tarentino suffocatur. Enisius eius etiam filius sed legitimus in agro Bononiensi occisus est. Fridericus reliquit hæredem vniuersalem Conradum filium susceptum ex Iola filia Regis Hierosolymitani, quem tamen idem Manfredus spurius veneno postea sustulit.

Manfredus illegitimus.

Enisius legitimus.

Conradus legitimus pater Coradini.

CAPVT XV.

Innocentius IX.
1253.

CONradus filius Friderici II. legitimus institutus hæres à patre, è Germania profectus paternæ priuationis exemplo non deterritus, Siciliæ regnum violenter ingressus est. Potitus vrbe Neapolitana obsidione, & fame, & mœnia in multis locis aperuit, ciuesque præsertim primarios male tractauit: muros Capuæ euertit, & Aquinum nobile oppidum incendit. Eodem anno opera Manfredi veneno sublatus est. Eius testamentum Manfredus suppressit, consciis quibuscunque veneno sublatis: & populos ad fidem Coradini nepotis sui hortatus est, videbat enim eos ad rebellionem pendentes, si qua occasio oblata fuisset. Hic Coradinus secundum Blondum, & communiter alios, fuit filius Heinrici fratris Manfredi, quem Fridericus pater quia Ecclesiasticus erat, occidi fecit. Sed secundum Archiepiscopum fuit filius Conradi. vtcumque sit, legitimus, & ex legitimo erat, iure succedens Friderico ex persona patris siue Heinrici, siue Conradi legitimorum, excluso Manfredo, qui hoc timens curauit eum infantem veneno per Oratores in Germaniam missos occidi: sed mater callida alium puerum loco Coradini eis exhibuit, qui gustatis rebus

Coradinus.

rebus donatis mox obiit. *Ex Blondo lib. 7. secundæ decadis fol. 191.*

Capvt XVI.

MAnfredus Friderici secundi Imperatoris ex concubina filius, mortuo Conrado fratre, Siciliæ regnum obtinet, & regnauit annis XIII. excommunicatus ab Alexandro copias Ecclesiæ contra eum missas partim occidit, partim cepit, prætendens se fratris legitimum hæredem: Et aucto suo exercitu iterum Alexandrum cum ignominia repulit: partem Guelfam Florentinorum, quod Ecclesiæ fauebat, magno bello vexauit, & attriuit, & Gibellinos introduxit Florentiam.

Manfredus filius Friderici II. illegitimus. Alexander IX. 1254.

Vrbanus IV. Sanctus Ludouicus hoc tempore in Aphrica militabat pro fide, vbi etiam decessit.

Vrbanus quartus impatiens tantæ tyrannidis declarauit Regem Siciliæ citra & vltra fretum Carolum fratrem S. Ludouici Regis Francorum, qui commisso prælio apud Beneuentum Manfredum occidit, regno potitus.

Clemens IV. 1267. Carolus primus frater Sancti Ludouici Regis Francorum, Gallus.

Capvt XVII.

CArolus Sancti Ludouici Regis Francorum fratrer Prouinciæ, & Andegauorum Comes interfecto Manfredo a Clemente Pontifice, sicut antea cogitauerat Vrbanus IV. & scripserat Ludouico, qui se ad id parare cœperat, sed mors Vrbani cœptum illud turbauit, Rex Siciliæ declaratur, & Siciliæ, & Apuliæ regnum in suam potestatem redegit. Et cum rebus pacatis Viterbium ad Clementem se cum exercitu contulisset, in Hetruriam illico mouit, in qua ad domandos Guelfos Conradinum adolescentem Conradi Sueui nepotem vocari audiuerat, mox in regnum contra Coradinum vocatus, vbi victo & decapitato Coradino cum

Coradinus nepos Friderici II. ad quē ex morte Henrici patris spectabat regnum, non fuit vocatus ad istud, nec eius iure reservatum. Sic in inuestitura Alfonsi & Ferdinandi vbi fuere vocati Andegauenses.

Heinrico fratre suo, tunc Senatore, & Regis Castellæ germano, regnum denuo in suam potestatem redegit, atque ita Romam veniens in Lateranensi Ecclesia Rex Ierusalem, & Siciliæ declaratur, adiecta annua feudali solutione 48. millium nummorum Romanæ Ecclesiæ facienda, ea lege, vt nec ipse, nec successores imperium ministrandum etiam electi acceptarent: terrebat enim Pontificem Friderici primi, & secundi memoria.

Mors Coradini nepotis Friderici II. ex Conrado eius filio.

Hic tantum iuris habuit in regno quã tum Fridericus. Et gesta per Manfredum patruũ spurium, & per Ecclesiã cum Carolo, iuri Friderici & Coradini, si priuatio Friderici non attenditur, nõ præiudicarũt. Quare Clemens abfuit Roma in qua erat rex amicissimus. Mores Gallorum.

Pace in Italia composita, in Aphricam traiecit, in subsidium Sancti Ludouici fratris sui, quo ex peste mortuo inuento, cum Tunici Rege pacem composuit, adiecto onere annui perpetui tributi.

Miratur Blondus *secunda parte lib. 8. versic. Non possum hoc loco, &c.* quare Romani receperint Carolum etiam in Senatorem, quem magistratum anno fere administrauerit, suas exspectans copias, quæ ex Galliis ducebantur, & tamen Clemens voluit potius exulare Perusiæ, aut Viterbii, sicut Vrbanus prædecessor suus, & non esse Romæ præsente Rege amicissimo. Sed Blondus responderet facile, qui secularibus, secularem potestatem diceret gratiorem Ecclesiastica, Romanorum moribus omni tempore pensitis. Reuersus Carolus ex Aphrica reperit regnum Siciliæ ad Petrum Regem Arragonum defecisse, & ab eo debellari: mores enim Gallorum in Apulia, & Sicilia (*vt late scribit Leonhardus Aretinus in historia Florentina, & refert Archiepiscopus 2. part. fol. 70. §. 2.*) in tantam nauseam populos reduxerant, vt longa patientia seposita, ex composito omnium populorum, certa die, hora vesperorum omnes Galli trucidati fuerint. Vnde commisso prælio reiectus est Carolus ab Arragonensi ex Sicilia ad Apuliam: propterea Martinus quartus contra Arragonensem crucem & indulgentiam plenariam publicauit. *Eadem Blondus 8. lib. secundæ decadis fol. 221.*

Petrus

Petrus vero Aragonensis se accersitum fuisse dicebat, & eo audentius id regnum accepit, quod asserebat regnum iure hæreditario ad Constantiam vxorem suam Manfredi filiam pertinere, ex quo linea masculorum Friderici secundi per obitum Conradi, & Coradini defecerat. Demum Carolus moritur, & Neapoli sepelitur 7. die Ianuarii MCCLXXXV. vt per *Archiepiscopum secunda parte fol. 85. §. 9.*

Petrus Aragonensis.

Ius Petri Aragonensis in regno ex Friderico secundo.

Nicolaus Papa tertius Vrsinus, ægre ferens potentiam Caroli, & præcipue, quia ob Senatoriam dignitatem videbatur vrbi dominari, statuit ne quis Senatoriæ dignitati præficeretur, qui esset ex Regio sanguine: deinde opera Iohannis Porcharii persuasit Petro Aragonensi, vt iure hæreditario vxoris suæ, cui Manfredus fuit pater, & Coradinus frater consobrinus, regnum Siciliæ recipere anniteretur. Sed dum Nicolaus ista molitur, obiit. Successit Martinus quartus Gallicus, qui Carolo fauit: hinc magni belli fomenta, in quo Martinus Petrum excommunicatum regnis priuauit, & contra eum crucem prædicandam, & indulgentiam plenariam, multaq; alia statuit. In hoc graui bello moto per Petrum Aragonensem contra Carolum Regem, & Carolum eius filium, Principem Salernitanum, Carolus secundus cum multis captus carceri in Apulia mancipatur, demum quadriennio elapso liberatur MCCLXXXVIII. operâ Roberti Comitis Artensis consobrini Caroli mortui, qui ex Gallia cum exercitu venerat in regno.

Alphonsus qui successit Iohannæ a Secunda fuit huius Petri nepos.

Nicolaus III. tenuit quod regnum iure hæreditario spectaret ad Petrum Aragonensem atauũ Alfonsi adoptati a Iohanna secunda.

Martinus successor Nicolai fautor Gallorum.

Ea lege exiuit Carolus secundus carcerem Aragonensium, vt faceret quod Carolus de Narles, aliâs Martellus, germanus Regis Franciæ, renunciaret omni iuri quod habebat in regno Aragoniæ. Nam Martinus quartus indignatus contra Aragonenses dederat priuilegium regni Aragoniæ illi Carolo de Narles, & pro cautione

promiſſionis dedit Carolus pro obſidibus tres ex ſuis filiis: tamen non potuit ſeruare promiſſa. *Hæc excerpta ex Archiepiſcopo tertia parte fol. 73.*

De his ita ſcribit Blondus: Carolus Rex Neapoli appulſus ciuitate confirmata, quam reperit titubantem, in Apuliam ſe contulit, copias inde nauigiumque contracturus, quo in Siciliam tranſportaret exercitum, ſed febre correptus interiit. Regnum id conſeruatum eſt Carolo ſecundo in Aragonis carcere agenti diligentia Cardinalis legati.

Philippus filius Regis Franciæ Comes Attrebatenſis ad regni cuſtodiam accelerare iuſſus eſt, quem e Galliis paucæ copiæ ſecutæ ſunt: nam plurimis indigebat pater ad deſtinatum in Aragonia regnum. Martinus enim Pontifex id regnum conceſſerat filio primogenito. Interim Martinus ſuum Carolum ſequens moritur, & ſuccedit Honorius quartus Sabellus, qui excommunicationem à Martino quarto factam in Petrum Aragonenſem, Fernandumque & filios, ac Conſtantiam vxorem, innouauit. *Blondus.*

CAPVT XVIII.

Martinus IV.
1281.
Carolus II. filius Caroli.

CArolus ſecundus Caroli Siciliæ Regis filius defuncto patre hoc anno ſucceſſit in regno patri adoleſcentulus, & regnauit annis XXV. Quinto anno regni ſui cum Hungariæ Rex ſine prole deceſſiſſet, ex hæreditate vxoria ipſius regnum accepit, & Carolo primogenito ſuo conceſſit. De bello inter iſtum & Dongianum Regem Aragoniæ, qui ſe vocabat Regem Siciliæ, ſcribit *Archiepiſcopus tertia parte fol. 77. 3. col.*

Ex Carolo primo defuncto ſolus dictus Carolus ſuperſtes fuit. Ipſe 14. filios habebat ex Maria vxore ſua, filia, & hærede Regis Hungariæ, nouem mares, & quinque fœmellas. Notiores fuere ſeptem. Primus fuit Carolus

lus Martellus, qui postea fuit Rex Hungariæ pater Andreæ, qui successit in regno Apuliæ Roberto huius fratri, & occisus à Iohanna, filia Ludouici Regis Hungariæ. Secundus Aloisius seu Ludouicus, qui fuit ordinis minorum, & Episcopus Tolosanus, demum Canonizatus. Tertius Robertus Dux Calabriæ, qui patri in regno successit. Quartus Philippus Princeps Tarentinus pater Ludouici mariti Iohannæ Reginæ Roberti neptis. Quintus Raymundus Berengarii, qui debebat fieri Comes Prouinciæ. Sextus Iohannes Princeps Amoreæ. Septimus D. Petrus Comes.

Philippus Rex Franciæ, filius Sancti Ludouici Regis, cum magno exercitu venit ad iuuandum Carolum secundum contra Petrum Aragonensem, anno MCCLXXXV. & commisso magno prælio ad radices montium altissimorum, qui sunt in confinibus Cathaloniæ, Petrus vulneratus reuersus ad villam Francam obiit, vt late *Archiepiscopus 3. parte fol. 73.* Deinde anno Domini MCCLXXXVI. filius eius Rex Aragonum coronatus fuit ab Honorio quarto de regno Siciliæ *secundum Archiepiscopum ibidem folio 74. cap. 5.* *Mors Petri Aragonensis.*

Tempore Nicolai quarti, qui successit Honorio IV. & præcessit Celestinum tertium pax constituta est inter Aragones, & Gallicos Reges. Rex enim Carolus II. promisit impetrare suis sumptibus à Pontifice, quod Iacobus Arago institueretur feudatarius Trinacriæ, & sicut fuerat Carolus genitor suus. Quod si triennio non impetrasset, carcerem vnde dimittebatur redire promisit, deditque filios sponsionis seruandæ obsides, videlicet Carolum, cui postea Martello Regi Hungariæ fuit cognomentum, & Ludouicum ordinis minorum, qui postea à Bonifacio octauo canonizatus est. *Ex Blondo fol. 214.* *Latius paulo post.*

Nicolaus IV. die 28. Maii in festo Pentecostes MCCLXXXIX. coronauit Romæ Carolum secundum filium Caroli primi Regis Siciliæ. Nam liberatus à carceribus Arragoniæ veniens ex Francia & honoratus valde Florentiæ, ad vrbem applicuit, & cum magno honore receptus à Nicolao IV. qui fuerat ordinis minorum Patria Esculanus, & posuit super caput eius coronam regni Siciliæ, & Apuliæ cum magna solennitate, & gaudio, & collatis sibi multis iocalibus & muneribus ab Ecclesia, ac etiam subsidiis decimarum in adiutorium ad recuperandam Siciliam. Postmodum inde recedens regnum ingressus est. *Hæc Archiepiscopus 3. parte fol. 76.*

Nicolaus Papa Carolum regno honestaturus, quod paterna successione habiturus erat, appellauit eum Regem Siciliæ vtriusque. Quod cum audisset Jacobus Arago frustratus spe, quam conceperat in fœderibus cum Carolo; vt dictum est; ictis, illum bello agitare instituit, & classe ingente per tumultum adducta in Italiam nauigans Caietam obsedit. Carolus coactus fuit vires contrahere, quæ in ea regni nouitate dissipatæ erant. Sed Odoardus Angliæ Rex qui primam pacem inter eos constituerat, iterato rem composuit, & Carolus consentiente Pontifice sponsiones primo factas se intra biennium seruaturum promisit. *Ex Blondo fol. 216.*

Anno deinde salutis MCCXCVIII. tempore Bonifacii octaui, Carolus prædictus dedit Iacobo Aragonensi prædicto Regi Siciliæ, Blancam secundam filiam, & ipse dimisit Carolum Martellum, & Ludouicum postea Sanctum, quos, vt dictum est, tenebat obsides. Dedit etiam Leonoram tertiam filiam in vxorem Friderico Aragonensi fratri Iacobi, titulo etiam regni Siciliæ eum ornando. *Ex Blondo fol. 217.*

Ad hæc tempora & personas sic etiam summatim colligi-

colligitur ex *Archiepiscopo 2. parte historiarum fol. 81. §. 5.* Anno MCCLXXXV. opera Bonifacii Papæ VIII. pax facta est inter Regem Aragonum, & Regem Carolum, hoc modo, secundum Chronicam Florentinam: Mortuo Anso Rege Aragoniæ Dongianus eius germanus, qui supra appellatur Iacobus, qui se fecerat coronorari de regno Siciliæ, & illud possidebat, quæsiuit pacem, ab Ecclesia, quam spreuerat, & à Carolo tunc secundo Rege Apuliæ, ita cooperante Bonifacio, pactum, vt Dongianus duceret vxorem Caroli, dimitteret Siciliam, relaxaretque obsides datos in Aragonia à Carolo, Robertum Raimundum, & Iohannem. Carolus è contra auctorizante Bonifacio promisit, quod Carolus Martellus Regis Franciæ germanus renunciaret inuestituræ, quam de regno Aragoniæ dederat sibi Martinus quartus. Ad quod facilius fiendum dedit ei Carolus Comitatum Andegauiæ & filiam in vxorem. Et ipse Carolus Rex Apuliæ accessit in Franciam, & rebus sedatis filios eduxit de carcere Aragonensi: reuersus Neapolim inuenit Florentiæ Carolum Martellum filium suum creatum Regem Hungariæ cum magna pompa, mansitq; ibi diebus XX. honoratus valde: mox Romam cum filiis veniens, habita super præmissis confirmatione Apostolica, reuersus est Neapolim. Dongianus dimissa Sicilia reuersus est in Aragoniam, & de illo regno fecit se coronari: acciditq; cum Carolus Rex Apuliæ vellet possessionem Siciliæ iuxta conuenta, reperit (nescitur an culpa Dongiani vel Pontificis) quod Fridericus germanus Dongiani sibi Siciliam vsurpauerat. Fratres illi mox citantur à Pontifice indignato. Dongianus comparet, ductâ secum Constantia matre, & filia Manfredi Regis Siciliæ, de facto purgauit se in præmissis Dongianus adeo, quod Papa eũ instituit Regem Aragonum, vexilliferum Ecclesiæ in mari, & Re-

Carolus de Narles, qui & Martellus, de quo etiam supra Cap. XVII.

gem Sardiniæ, si eam liberaret à Pisanis, Rex Carolus omnem iniuriam ei remisit.

Fridericus in Sicilia intrusus innouauit quædam multa feritate. Anno MCCXCVIII. Carolus iuit cum classe adiutus à Dongiano in Siciliam contra Fridericũ. Capti Siculi & ipse Fridericus qui aufugit ab ipsis, & Carolus non habuit Siciliam. Postea in fine eiusdem anni Philippus Princeps Tarenti filius Caroli secundi cum classe & exercitu inuasit Fridericum, quem debellauit & cepit, vt per *Archiepiscopum sup. fol. 52. §. 4. in fine.*

1299. *Robertus filius Caroli.* Mortuo Iacobo Aragonensi genero Caroli secundi Gallici, cuius etiam frater Fridericus Leonoram filiam eiusdem Caroli habebat vxorem, Robertus filius Caroli, & Calabriæ Dux iussu patris in Siciliam traiiciens Cathina vrbe potitus est, & Philippus Princeps Tarentinus Friderici frater cum potente classe subsecutus: verum Siculi veteri odio Gallici nominis pro Aragonensi tenentes naues plurimas armauere: & primo classem, quam Robertus præmiserat facile occuparunt, deinde Philippi classem cum ipso interceperunt. Philippo Panhormi carcerato, Robertus relicta Cathena in ciuium potestate in Italiam rediit, & Fridericus Arago frater Iacobi, & sororius Roberti & Philippi ex Hispania conuocatus Siciliam obtinuit, & paulo post pene omnem Calabriam. *Ex Blondo fol 217.*

Fridericus Arago Siciliam & pene omnẽ Calabriam obtinuit. 1301.

Carolus Valesius anno secundo à Iubileo, tempore Bonifacii VIII. vt exigeret rem Consobrini Regis secundi Caroli Neapolitani, contulerat se ex Hetruria in Apuliam cum copiis omnibus, nec id displicuit Bonifacio Papæ postquam deciderat de spe auxilii Regis Franciæ: & Valesius in Calabriam ducens, prædam animalium ingentem abegit, sed neminem habuit obuium resistentem: Fridericus etiam non ausus congredi prælio, pacis

primus

primus mentionem fecit, quæ in hunc modum constituta est: Redditis namque vrbibus & oppidis de Italia captis, & captiuis hinc inde liberatis, permissus est Fridericus Aragonensis, quam diu vixisset Trinacriam possidere, ita iureiurando spondentibus Gallicis Rege Carolo, filiis, & Valesio. *Ex Blondo fol. 228.*

Aliter narrat hoc Archiepiscopus in parte *fo. 85.* §. *16.* dicit enim, quod Fridericus videns se imparem Carolo, impediendo victualia adeo fatigauit eum, quod coactus fuit Carolus recedere sine honore, & pro minori erubescentia Caroli facta est pax simulata, videlicet quod Leonora filia Regis Caroli, daretur in vxorem Friderico, & Rex & Ecclesia iuuarent eum in acquisitione alterius regni: quo facto traderet Siciliam. Quod si regnum ei non posset acquiri, teneret Siciliam nomine dotis, & post mortem suam & filiorum dimitteret Siciliam Carolo Regi, & posteris. Filia sine conuentione desponsata est, alia promissa euanuere. Rediit Valesius Neapolim, subinde in Galliam honore vacuus, *secundum Archiepiscopum.*

Obiit Carolus secundus Rex Apuliæ Anno MCCCIX. Hic fuit valde liberalis, & gratiosus, ita vt diceretur alter Alexander, etsi in munificentia, sed non in arte bellandi, & industria, aut fortuna similis, & in senectute sua effœminatus posuit maculã in gloria sua libidine victus. Successit in regno Robertus primogenitus eius tunc Dux Calabriæ, qui cum magna comitiua Baronum per mare transiuit in Prouinciam; exinde ad Clementem quintum, à quo Coronatus fuit corona regni Siciliæ, & Apuliæ, ac etiam dimisit ei debitum, quo tenebatur pater eius & auus Ecclesiæ, in subsidio eis præstito, in bello contra Siculos, quod erat trium millium vnciarum auri. *Archiepiscopus 3. parte fol. 93. §. 1.*

Mors Caroli II.

CAPVT XIX.

Clemens V. 1310. Robertus filius Caroli II.

Robertus Caroli Secundi Siciliæ, & Apuliæ Regis filius patri successit, & regnauit annis 33. Rex multorum scriptorum laudibus celebratus, quoniam nedum rei militaris peritia, sed multarum scientiarum ornamento vere inclytus, regni titulis à Clemente Papa in Auinione susceptis, profectus est ex Galliis ad Pelaguram Bononiæ legatum, qui curam Ferrariæ tumultuantis ei demandauit. Misit deinde Iohannem fratrem ex Neapoli Romam, vt inde expelleret Heinricum septimum Imperatorem, qui totam Italiam sua tyrannide turbabat. Coactus Heinricus abire Robertum reum læsæ maiestatis fecit, & non citatum regno priuauit. Quam sententiam eum inde secutus Clemens in *Clem. pastoralis, de re Iud.* irritam declarauit.

Hic Robertus Genuæ Sauonæ & quarundam aliarum vrbium dominium habuit opera Guelphorum: demum nullo filio superstite moriens regnare præcepit Andream ex Carolo Martello fratre Rege Hungariæ natum nepotem, licet, Iohanna nata ex Carolo filio Roberti à Florentinis (vt est dictum) olim, vocati regnum administrauerit, vt sequitur.

Dolens Petrarcha de morte Roberti, potissimum quia successit regina iunior, & nepos adolescens, post deplorationem ita scribit, Epistola prima quinti libri: *Ita me reginæ iunioris, nouique Regis adolescentia, ita me Reginæ alterius ætas, ac propositum, ita me tandem territauit aulicorum ingenia, & mores. Mendax hic vtinam sim propheta. Sed agnos duos multorum custodiæ luporum creditos video, regnumque sine Rege. Nam quid ego eum, qui ab alio regitur Regem dicam, multorumque sæuitiæ expositum.*

Robertus nouum Pontificem salutaturus Ammone n

nem accessit recedens à Pistorio, quam terram cum Gibellinis obsederat, vt eam ab oppressione Guelforum liraret, & Cardinalis legatus Pelugura nuncupatus, sub censurarum interminatione eos amouit.

Petrarcha appellat Robertum Serenissimum Regem, & vnicum decus ætatis suæ, *Epistola secunda 4. lib.* in qua ostendit eum fuisse verum Regem, omniaque Regio nomini necessaria in eo fuisse.

Bella in Italia inter Gibellinos, pro quibus Ludouicus Bauarus in imperio intrusus, & Galiacius Vicecomes; & Guelfos, pro quibus Iohannes XXII. Robertus, & Carolus filius & Florentini.

Anno Domini MCCCXVIII. Robertus iuit Ianuam in auxilium partis Guelfæ contra Orienses & Spinolas exules, & commisso sæpius prælio domuit exules, & iuit ad Iohannem Papam: postea eo absente iterum exules plura innouarunt, sed tandem ope etiam gentium Regis exterminati sunt. *Archiepiscopus tertia parte fol. 98. §. 2. 3. & 5.* extendens multorum prælia pro habenda Ianua, & postea de Mediolano etiam à Roberto desiderato.

Dum Castrucius tyrannus Lucensium premeret Florentinos ex Pescia, postularunt à Roberto, vt eis daret Carolum filium in dominum. Quod factum est paulo post, & Castrucius & Carolus felicitate Florentinorum obiere. *vide Archiepiscop. 3. parte fol. 109. §. 8. & 9.*

Anno MCCCXVII. finita treuga inter Regem Robertum, & Regē Siciliæ Fridericum, Robertus cum classe & exercitu profectus est in Siciliam, & in XV. diebus multa deuastauit, & occupauit in regno. Fridericus semper latuit in castro Gianni. Vnde Sicilia maius damnum passa est à Roberto, quam à Carolo primo vel secundo; & si continuasset per annum, subegisset Siciliam. Iohan-

nes Papa XXII. iussit Roberto vt faceret inducias quinquennales: paruit Domino suo data ciuitate Rhegii, & aliis terris in depositum Papæ: tandem in dominium Roberti conquerente frustra Friderico deuenerunt. *Archiepiscopus 3. parte fol. 98.*

Anno MCCCXXXIII. ad finem Pontificatus Iohannis XXII. mutata est Italiæ conditio. Nam quibus Papa & Rex Bohemiæ amici essent, his Robertus Rex & Florentini aduersabantur, nullo Guelforum, Gibellinorumve discrimine. Roberto cõiuncti contra Ecclesiã Scaligeri, Gõzagæ, Carrancnses & Estenses, quos omnes Iohannes XII. excommunicauit. *Blõd. 9. lib. secũdæ decadis in princ.*

Gesta Roberti contra Heinricum, quem Archiepiscopus appellat septimum, late ponit Archiepiscopus *tertia parte fol. 94.* inferens quidquid etiam cum filiis suis egit in Tuscia pro Florentinis. Late etiam ponit *Blondus 9. lib. secundæ decadis fol. 221. cum pluribus sequentibus. Et Leon. Aretinus in historia Florentina lib. 4 & 5.*

CAPVT XX.

Clemens VI. 1344. Andreas Hungarus nepos Caroli secundi. Iohanna Regina prima. Hic finita linea recta masculina Caroli primi Regis Apuliæ. Carolus primus filius Andreæ. Ludouicus Rex Hunga-

Andræas filius Caroli Martelli Hungariæ Regis, mortuo hoc anno Roberto eius patruo filio Caroli secundi sine virili semine, accepta Iohanna ipsius Roberti Regis ex filio nepte in vxorem; post socerum, & patruum suum regnauit in Sicilia, & Apulia annis tribus. Sed Iohanna post triennium cognita viri socordia, consentientibus agnatis eius, qui regno inhiabant Andręam ipsius virum, & consobrinum per insidias laqueo interimere fecit, & alteri consobrino nupsit, videlicet Ludouico olim filio Philippi Tarentini Principis fratris Roberti. Remansit Andrææ superstes filius Carolus cognomento paruus dictus, de quo infra cap. 22. Ludouicus vero Hungariæ Rex, & ipsius Andrææ frater ita scripsit Iohannæ: *Iohanna*,

na, inordinata vita, praecedens detentio potestatis in regno. neglecta vindicta, & excusatio subsequẽs necis viri tui, probant te fuisse participem, & consortẽ. Vnde Ludouicus cũ paratissimo exercitu ad vlciscendã fratris necẽ in Italiã venit. & primo Sulmonenses resistere ausos seueriter domuit. Subinde septennale bellũ regnũ illud multis contentionibus attriuit. rie, fratris Andreæ.

Ludouicus recepto Sulmone, omni regno facilli mè est potitus: Iohanna enim, & Ludouicus Tarentinus vir suus fuga sibi à principio consulentes, in Prouinciam se receperant, relicto ad regni Neapolitani custodiam Dirachino filio Comitis Graniensis fratris germani Regis Roberti, quem Ludouicus Rex Hungarus cum omni præsidio à Iohanna relicto captum capitali supplicio affici iussit: Ludouicus tertio mense aduenerat. In Hungariam reuersus est territus à peste, quæ totam Italiam triennio attriuit, ita vt ex centum quibuslibet decem superstiterint. Reliquitque in præsidium regni Hungaros. *Blond. 10. lib. secundæ decadis fol. 236.*

Roberto Regi erant duæ neptes ex Carolo filio, qui antea à Florentina expeditione reuersus adolescens obierat. Et Carolus Martellus frater Roberti Rex Hũgarũ habuit filiũ etiam nomine Carolum. Obiit Carolus filius viuente Carolo patre superstitibus Ludouico, & Andræa filiis.

De hac Iohanna prima seriose scribit Pogius *in lib. de varietate fortunæ.* Cuius dicta sic summari possunt: Iohanna regnũ paternũ, nulla virili prole superstite, sola tenuit, summa omnium volũtate, Andræam prolem regiam virũ suum ex Hungaria accitum morte affecit. Territa deinde impetu Hungarorum, qui ad vltionem mortis venere, primo Florentiam, inde in Prouinciam aufugit. Illis abeuntibus restituta, fortunam secundam ad extremam vsq; ætatem experta est. Regnum tenuit summa pace, supra prudentiam muliebrem, adeò vt nullo vnquam tempore

floruerit sub Rege magis. Vrbanus vt eam deprimeret, mouit Carolum Principem Dirachinum, regia ortum stirpe, qui ex Hungaria in Italiam venerat, & Aretium per intestinam seditionem occupauerat. Prælio in regno commisso Reginam captam annis confectam puluillo ori superiniecto ad mortem compulit.

Erat Vrbano nepos nomine Butilus, nullius neque virtutis, neque consilii, quem extollendi cupiditate, Pontifex cœcus conuenit cum Carolo, vt ei partem regni promitteret. Cunctantem Regem Pontifex nouo bello turbauit, paruis copiis, nec ad imbelle oppidum oppugnandum aptis, quas Carolus apud Nuceriam parua obsidione contundit. Inde Carolus regno Hungariæ potitus, dolo Magni Comitis, reginæque superstitis in cubiculo gladio occisus. Exultasse ferunt Vrbanum ad nuncium mortis, cultrumque quo ictus fuerat ad se delatum recenti sanguine respersum auidissimè inspexisse. Si Carolus diutius vixisset, sapientiam Roberti æquaturus erat. Reliquit Carolus Iohannam, & Ladislaum filios, ad hunc cum ancipiti diutius fortuna tandem regnum peruenisset, sororem Iohannam viduam, cum in fata concederet, hæredem, nam ipse caruit liberis, reliquit. *Pogius.*

Carolus reliquit Iohannam & Ladislaum.

CAPVT XXI.

Item Clemens.

1352.

Ludouicus nepos ex fratre Caroli secundi.

LVdouicus filius Philippi Principis Tarentini filii Roberti & Iohannæ etiam Roberti Regis neptis maritus, postquam obtinuit regnum Apuliæ contra Ludouicum consobrinum, Hungariæ Regem, nomine Clementis Papæ Neapoli inunctus, regiam potestatem hoc anno accepit, & regnauit annis XXVI. Et suscepto regno pacem cum Hungaro renouauit. Iohanna autem Regina in be-

Gallus.

inbeneuolentiæ signum Auinionensem vrbem, quæ sui patrimonii erat, Pontifici vendidit: & ei pro precio remisit Pontifex tantundem quod ipsa ex Feudo Apuliæ debebat, quantum ipsa Auinionensis ciuitas valebat. *Blondus fol. 227.*

Ex sequentibus inferri potest, Ludouicum prædecessisse Iohanna.

Cum Clemens VI. Ludouicum Tarenti Principem corona regni Neapolitani insigniri fecisset, pax cum Ludouico Hungariæ Rege consobrino renouata est. De qua re Petrarcha ad Philippum Caualicensem Episcopum ita scribit: *Rex Siculus delatum diadema recepit, interque eum & Hungaricum regnatorem pax nunc æterna conuenit.*

CAPVT XXII.

Vrbanus VI. 1381. Carolus III. Ex Gallis. Filius Andrea occisi à Iohanna, vt in historia Hungarica. 98. Iohanna prima adoptauit Ludouicum Andegauensem.

CArolus nepos Ludouici Regis Hungariæ, quem, vt est dictum, Pestis in Hungaria remiserat, ortus regio genere ex Carolo primo, qui Manfredum superauit, vocatus fuit ab Vrbano ex Hungaria cum exercitu contra Reginam Iohannam, tum quia ipsa fauebat Clementi VII. Antipapæ, tum quia dicebatur adoptasse in filium Ludouicum Andegauensem quondam Regis Francorum filium. Cognouerat Vrbanus quantus esset Carolus in re militari, cum olim in bello Teruisino pro Hungaris contra Venetos strenue se gessisset: veniens itaque in Italiam cum octo millibus equitibus Hungaris, terruit Florentinos, & acceptis ab eis 40. millibus numûm auri, Pontificem, mox Neapolim petiit, & mirabili victoriæ cursu capta regina, & ducibus eius superatis regnum obtinuit: postea Reginam interfecit, regnauitque ibidem annis quatuor.

Mors Reginæ Iohannæ.

Anno deinde sequenti Ludouico Hungariæ Rege nepote Roberti ex filii filio sine liberis defuncto, proceres Hungariæ, ne Reginæ subessent, Carolum accersi-

uerunt, qui magna populorum gratia coronatus, non multo post dum conuentum celebraret, Reginæ dolo interfectus est, Anno MCCCLXXXV.

Vrbanus Pontifex vt gauderet portione felicitatis regni à Carolo capti, cum tota curia Neapolim se contulit, ostenditque ea vera esse, quæ ei a principio Cardinales obiiciebant: quod etsi esset homo acerrimi ingenii, tamen tantæ peruicaciæ esset, vt durus & rusticus, ac nemini amabilis, nemini gratiosus esset. Mox enim nepotem suum creari Capuæ Principem à Rege contendit. Quod cum vellet violenter obtinere, Rex ei prohibuit, adhibitis custodibus, exitu vrbis & palatii. Pontifex tamen obtinuit à Rege, quod propter æstatis caumata habitaret Nuceriæ; in quo loco præsidio communito, ingentem turbam Cardinalium creauit, septem etiam ex veteribus carceratis, quos dicebat coniurasse aduersum se cum Rege & Antipapa: Citauit etiam Regem, vt ad eius priuationem procederet. Rex autem vt facilius, sicut ipse dixit, responderet, contractis copiis Nuceriam circumsedit. At Raymundus Balcianus gente Vrsinus Comitis Nolani filius, qui postea fuit Princeps Tarentinus, Vrbanum cum curia ad mare proximum deduxit, vbi triremes Genuensium affuerunt, & dum Pontificem vehebant, ex septem Cardinalibus Nuceriæ captis, quinque saccis inuolutos in mare demergi curauit, Romamque reuersus 29. Cardinales creauit, pro maiore parte Neapolitanos. *Blondus fol. 248. & Archiepiscopus 3. parte fol. 123. §. 12.* Postea priuationem Caroli factam ab Vrbano Bonifacius IX. reuocauit, *vt cap. proximo, versiculo, Ladislaus adolescentulus.*

CAPVT

Capvt XXIII.

Lvdouicus Andegauensis Dux, & Francorum Regis frater, Caroli prædicti inimicus, adoptatusque à Regina Iohanna, venit in Italiam cum L V. millibus Gallorum contra Carolum. Et, vt Vrbanum Pontificem deiiceret, apparatus formidabilis, expectatio ingens. Bernabonus Mediolani Dominus Ludouico fauebat, Vrbanus Papa Carolo, Florentini mixti. Tandem in Hetruria erumpens Ludouicus cepit & diripuit Aretium, biennioque conatus Carolum Apulia debellare, interiit. Galli sui Aretium vendidere Florentinis pro L X. millib. Et Andegauenses soli & prope nudi, potiusque inermes mendicata hostiatim ad victum stipe, longitudinem Italiæ sunt emensi. *Late Archiepiscopus 3. parte fol. 132. §. de transitu Gallorum. Et Blondus 10. lib. secundæ decadis fol. 248.*

1382. *Alius Ludouicus huius Ludouici filius paulo post in Gregorio XII. & Alexandro quinto.*

Vrbanus anno vno Genuæ acto, Lucam se contulit, & semestre ibi acto, per Pisanos & Senenses Perusiam se contulit: egit vero in ea paucos menses, quod desiderio teneretur Neapolim repetendi, statum euersurus. Ladislao admodum puero, & Iohannæ sorori, ad quos regnum Caroli patris hæreditate peruenerat. Fouebant enim Vrbano maximam spem, si accessisset, multi proceres, soliti studere Ludouico Andegauensi, vt propriæ Regis vtilitati consulerent, quam quod Pontifici afficerentur. Sed magna vsi fide Caietani, pueris seruatis regnũquoq; seruauerunt. Vnde Pontifex Ferentinum vsq; delatus, cũ nullas rebelliones intellexisset fieri ab his, quæ ita promiserant, quia pueros superstites metuebant, Romam venit, nouos, vt est dictum, Cardinales creans, & curia repleta Banderesii quieuerunt. *Blondus fol. 249. 10. lib. secundæ decadis.*

CAPVT XXIV.

Idem Vrbanus. 1385. Ladislaus Hungarus.

LAdislaus Caroli Regis in Hungaria necati filius hoc anno in Apuliæ regno ſucceſſit, & regnauit annis XXIX. veni ex Hungaria, vbi res proſpere non ſuccedebant, ad Italiam, & opera Alberici Comitis Cunii regnum in integrum redegit, & ob magnam rerum proſperitatem duce prudentia factus eſt omnibus, etiam Pontifici formidabilis.

Vigeſimo anno ſui regni Ladislaus ſub ſpecie amicitiæ Romam venit. De hoc late *Platina in Innocentio VII. & Archiepiſc. 3. parte folio 150.* Et plenius *Leonhardus Aretinus,* qui interfuit, *Epiſtola ſexta.*

Et concitauit Romanos, vt contra Innocentium VII. arma ſumerent, quare vndecim ex Romanis leuitate Ludouici nepotis Innocentii occiſi ſunt, & Innocentius timore Romanorum cum curia Viterbium aufugit.

Priuatio Ladislai & conceſſio facta Ludouico Ludouici Andegauenſis filio.

Iterum Pontificante Gregorio XII. per eius abſentiam Rex Romam occupauit, & Pontifex illum regni titulo priuauit, & Ludouico filio Ludouici Andegauenſis regnum conceſſit.

Poſtea tempore Iohannis XXIII. Neapolitani, adeo à militibus Eccleſiæ profligatus fuit Ladislaus, vt aliquando dixerit, quod ſi hoſtis prudentia vti ſciuiſſet, totius regni poteſtatem ei accepiſſet. Varia deinde inter Regem, & Pontificem fortuna fuit. Rex Cortonam vendidit Florentinis, cumque eos domare conſtituiſſet, morbo correptus Neapolim rediit, vbi dolo concubinæ in actu venereo venenatus obiit. *Supplementum.*

Ladislaus adoleſcentulus filius Candolam delere, & Pontificem Alfonſum Renato prælaturum.

Comperit Cardinalis Candolam, qui in eius auxilium veniebat, poſtergata indignatione, quoniam paũ

non

non poterat Alfonſi proſpera: conciliati conſpirant contra Alfonſum, & nocte in eum mouent, qui monitus euaſit. Diſrumpitur mox conciliatio Cardinalis, & Caudolæ, & quiſque diuertit. Cardinalis autem Granum duxit, vbi oppidani eum non receperunt, Alfonſo inclinati.

Per hæc tempora Renatus liberatus carcere, in quo multos egiſſet annos apud Ducem Burgundiæ, Neapolim ſe contulit, cui ſe iunxit Iacobus Caudola, tamen nihil ex veteribus malis hinc inſtauratum eſt.

MCCCCXI. Eugenius cum Alfonſo conſtituit inducias vnius anni. Interiit Iacobus Caudola apoplexia: Alfonſus Auerſam oppidum cepit: Renatus ad Raymundum & Antonium Caudolam ſe reduxit, relicta Iſabelæ vxori cura ſuſtentandi vrbem Neapolitanam, & à Neapolitanis cæteriſque Apuliæ & Aprutii populis adiutus copiolas inſtaurauit.

Cardinalis Patriarcha Alexandrinus alias Cornetanus in caſtro Sancti Angeli obiit.

In regno Apuliæ res ad extrema reducta eſt, inter Alfonſum multarum terrarum occupatorem, & Renatum vrbis Neapolitanæ fame pereuntis poſſeſſorem. Renatus qui ſe inſtaurauerat in Aprutio Neapolim repetiit: obuius eſt Alfonſus, cui ex improuiſo obuians Renatus voluit congredi, ſed Antonius Caudola prohibuit. Carceratus à Renato Caudola mox liberatus, Eccleſiæ miles efficitur.

Hinc motus Eugenius miſit Cardinalem Tarentinum pro pace. Alfonſus exercitum ſuum per oppida Neapolitana dimiſit. *Hiſtoria Blondi hic finitur.* *Finis hiſtoria Blondi.*

Leges pacis inter Eugenium, & Alfonſum teſte Pio in hiſtoria temporum ſuorum in hunc modum dictæ. *Pius in hiſtoria ſui temporis.*

Eugenius Pontifex Alfonſum Regem Neapolitanum decernat, appelletque, Ferdinando Regis filio, cui Rex poſt mortem regnum deſtinauerat, poteſtatem ſuccedendi faciat, Terracinamque regno adiiciat. Alfonſus è contra Eugenii auctoritati ſe ſubiiciat, atque opituletur ad agrum Picenum, quem Franciſcus Sforcia occupauerat, vendicandum: ſi quando Pontifex aduerſus Turcos, aut Aphros bellum ſuſcipiat, Rex cum claſſe adiuuet, Sacerdotes regnorum ſuorum ſub concilii prætextu Baſileam profectos reuocet, nec patiatur tres ex ſuis, qui Cardinales ſub Amodeo Sabaudienſi creati fuerant, reuertentes pro Cardinalibus ſuſcipi, haberive: Matricem ciuitatem Ducalem, atque Accumulum in Marſis oppida Romanæ Eccleſiæ tradat.

Ex Archiepiſcopo 3. parte fol. 172. ſummatim hæc: Cum obſeſſa eſſet ab Alfonſo ciuitas Neapolitana, tandem milites Alfonſi ingreſſi nocte ciuitatem per cloacam ſubterraneam; Renatus in caſtrum nouum fugiens, cum nullum ſperaret ſubſidium, caſtrum dedit, libere abire permiſſus Florentiam ad Eugenium venit, à quo humane tractatus ad propria eſt reuerſus. Totumque regnum Apuliæ nullo reſiſtente poſſedit Rex Aragonum, cum tamen Renatus bullas Apoſtolicas prius obtinuerit in Concilio Piſano. Et quod ſecundum Archiepiſcopum magis eſt in concilio Conſtantienſi conceſſiones ſibi factæ ab Eccleſia de dicto regno. Hoc vltimum verbum dixerat etiam Archiepiſcopus *in tertia parte fol. 157. col. 3. parag. 3.* in fine vbi referens, quod Martinus approbauit, geſta in concilio Conſtantienſi, ſubdit: dicitur etiam bullas ſolennes regni Apuliæ adeundi, & poſſidendi fuiſſe conceſſas per Concilium Ludouico Duci Andeguenſi, & ſucceſſoribus ſuis. Tamen etiamſi de iſtis conceſſionibus conſtaret, caderet ingens diſputatio ſuper ipſis, propter conceſſio-

Sic & Beliſarius, vt ſupra in primo capite.

concessiones etiam factas sæpe à sede Apostolica Aragonensibus, & propterea, quæ hinc inde elici possunt ex isto summario, &c. Postea circa ann. Do. MCCCCXLVII. Alfonsus vexauit diu Florentinos, & Venetos.

Anno MCCCCLVIII. in fine Iunii Alfonsus obiit, relicto Ferdinando filio successore. Monuit autem eum vt ipsius vestigia non sequeretur in tribus: Primo quod non diligeret Cathalanos, neque Aragonenses, sed Italicos, & præcipue regnicolas. Secundo, quod noua grauamina, quæ nimis barbare ipse regnicolis imposuerat reduceret ad pristinum moderamen. Nam inter cætera Alfonsus de omnibus Ecclesiis, quæ vacabant, volebat pecunias sicut Papa annatas. Tertio vt pacem à se cũ Ecclesia & aliis cõmunitatibus confectã ipse firmiter seruaret.

Calixtus percepta morte Regis, declarauit per bullas patentes regnum Apuliæ vacans, vt feudum Ecclesiæ, ad eum solum pertinere, & de ipso disponere velle asserebat, mandans Ferdinando vt illud dimitteret, & ne se Regem nominaret sub pœna anathematis: omnia iuramenta vasallorũ dissoluẽs, Ferdinandus dicitur appellasse.

Dux Mediolanensis Franciscus Sforcia conquestus fuit de istis, & scripsit Calixto qualiter Eugenius per literas authenticas concesserat regnũ Alfonso, & Nicolaus V. non alterauerat. Vnde mirabatur quod sine causa vellet regnum auferre Ferdinando filio per Alfonsum instituto, quẽ pro posse iuuaret, cum esset ei affinis. Interim die VI. eiusdem anni Calixtus obiit. *Hæc ex Archiepiscopo.*

Declaratio Calixti super deuolutione regni fuit MCCCCLVIII. 4. idus Iulii. Bulla registrata est in libris cameræ tempore Calixti *fol. 138*. Et habet Calixtus bullam pro intimata toti mundo per ea, quæ ibi mandat circa publicationem. Et loquitur in genere de deuolutione; offert iustitiam querelaturis; Gallos non nominat.

Contra hanc deuolutionem facere videtur alia bulla Eugenii incipiens: *illegitime genitos*, in quodam libro Cameræ tempore Eugenii *folio 28.* vbi legitimatur Ferdinandus, & habilitatur ad omnia, ſpecialiter ad ſucceſſionem regni. Si ergo inueſtitura Alfonſi tenuit, ſublato per Papam in Ferdinando defectu natalium, regnum ad eum, non ad Eccleſiam, quoad vtile dominium, deuolutum fuit.

Item circa hanc deuolutionem conſidera, quod Eugenius MCCCCXLIII. 3. idus Iulii, anno Pontificatus XIII. inueſtiuit Alfonſum, vt eſt bulla regiſtrata in Camera in libris XIII. anni Pontificatus Eugenii, in qua fit mentio de arrogatione facta à Regina Iohanna de Alfonſo: ponit cenſum VIII. millium vnciarum annatæ, pro inueſtitura autem L. millia margarum ſterlingorum.

Geſta per Eugenium confirmauit Nicolaus V. Nam Alfonſo regnum confirmauit, & Ferdinandi legitimationem ratam, gratamque habens extendit, & ampliauit teſte Pio II. *in famoſa oratione* incipiente: *Reſponſuri habita Mantuæ ad Oratores Gallos.*

CAPVT XXIX.

Calixtus III. 1455. FErdinandus Alfonſi filius extra matrimonium natus: hoc anno patre defuncto ex eius teſtamento in Neapolitanum regnum ſuccedens regnauit annis XXXIX. Cum enim mortuo Alfonſo ſine prole legitima, regnum eſſet ad Eccleſiam deuolutum, cordique eſſet Calixto Pontifici excellentiſſimi animi regnum repetere: hoc periculo per eius mortem fuit liberatus Ferdinandus à Pio ſucceſſore Calixti, reclamantibus Gallis regni confirmationem accepit, & corona regia donatus eſt. *Iohannes Renati filius.* Iohannes Renati filius iuuante Iacobo Piccinino Ferdinando bellum

bellum intulit. Sed Pius vt Vasallum Ecclesiæ ex debito manu tenens Ferdinandum adeo iuuit, quod Iohannes repulsus est, & regnum pacatum.

Ferdinandus dum in aurora Principatus interrogaretur à proceribus, quid circa tributa per patrem moderate imposita, decerneret, respondit, *mutare nil velle, non augere, non minuere*, quippe quæ moderata esse viderentur. Acquieuere omnes, & bene secum agi iudicarunt dum non augeretur: postea inspirantibus illis minuit; de quo mirifice laudatus fuit ad instar Darii secundi, qui cum rogaret præsides, quid de impositis à se tributis sentirent, respondentibus illis, moderata quidem, diminui tamen ad medietatem. Et Antonius Aurelius Imperator cum exhausto ærario pecuniam sibi reperiendam videret, vasa preciosa, gemmas, vestemque & suam & vxoris vendere maluit, quam tributum cuiquam imponere. *Hæc Bernhardus Iustinianus legatus Venetus, in oratione habita coram Ferdinando nouiter tunc coronato, in qua laudem Alfonsi, & Ferdinandi eleganter locutus est.*

Mortuo Pio graues inimicitias suscepit Ferdinandus cum Paulo secundo, occasione annui census Ecclesiæ debiti. Postea cum Venetis propter regnum Cypri ingens odium contraxit. Mors Mahumeti Turci, qui pace inita cum Venetis Apuliæ oram capto Hidrunto occupauerat, Ferdinandum à magno periculo liberauit. Cum Sixto Pontifice quarto varia fortuna vsus est, pacemq; & odium quasi per ludum sæpius inter se reuoluerunt, *vt ex historia moderni clarissimi historici Sigismundi de Fulgineo, videri potest.* Sic & cum Innocentio VIII. qui erga Ferdinandum ex ingenti odio ad summam gratiam, mox ex summa gratia iterum ad odium, & iterum ab odio ad gratiam vltimo se conuertit, vt omnes & vidimus, & sæpe cum admiratione damnauimus. Post obitum Inno-

centii anno ſecundo obiit in pace Ferdinandus correptus breui morbo, & catarrhi deſcéſu ex immoderata venatione cauſato, die XXV. Ianuarii, hora 17. MCCCCXCIV. relicto Alfonſo primogenito.

Pius Papa II. ſucceſſor Calixti inueſtiuit Ferdinandum de regno Apuliæ, cum clauſula, *nullius iuri derogando.* Quod verbum anteceſſores ſui non poſuerant in ſuis inueſtituris, vt ipſe dicit in oratione, de qua ſtatim. Pius auditis Mantuæ Oratoribus Regis Franciæ, qui vehementer conqueſti ſunt de Aragonenſi Prælato, per Pium Gallis, ſolenni oratione ad omnia reſpondet, & incipit oratio illa: *Reſpõſuri veſtris verbis, inſignes Oratores.* Et pro geſtorum ſuorum iuſtificatione diſertiſſime ſcribit. Et in hoc Epitomate multa accepi ex ea oratione, ſicut & ex hiſtoria temporum ſuorum, & ex eloquentiſſima reſponſione quam Senis dedit Oratoribus Regis Renati, qui pro eo petebant inueſtituram, aut auxilia ei dari, aut ab altera parte reuocari, & incipit reſponſio: *De regno Siciliæ, cuius proprietas, &c.* vbi etiam efficacibus rationibus oſtendit, non debuiſſe Renatum propria auctoritate mouere arma pro terris Eccleſiæ, & damnat quædam hoſtiliter geſta per ſuos, maxime per Comitem Iacobum Piccininum in locis, & perſonis Eccleſiaſticis: probans etiam Pontificem teneri ad defenſionem Vaſalli. Adde etiam Orationem Pii ad Quirites de ratione ſuſcepti belli pro defenſione Ferdinandi, & incipit: *Ingentes vobis Quirites gratias agimus.*

CAPVT XXX.

Alexander VI. 1494. *Alfonſus ſecundus Rex.*

Alfonſus mortuo Ferdinando eadem die omni curia, & procerum ſuorum põpa Comitatus regni ſucceſſionem adeptus eſt: mox Alexandro Pontifici per oratores

tores ſuos ſupplicat pro executione bullæ, quam cum conſenſu omnium Cardinalium ſuperioribus annis fecerat Innocentius VIII. immediatus Alexandri prædeceſſor, in qua recenſitis inueſtituris Eugenii, Nicolai, & Pii, & Sixti, inueſtitus fuit verbaliter de regno Apuliæ, & Siciliæ Alfonſus ipſe, tunc Dux Calabriæ, & poſt eum Ferdinandus eius filius, tunc Princeps Capuanus, nunc Dux Calabriæ. Eo addito, vt decedente Ferdinando Alfonſus poſſeſſione regni accepta actualiter inueſtiretur, & coronaretur per Romanum Pontificem, vel Cardinalem ab eo mittendum.

Regiis precibus & bulla in ſecreto conſiſtorio per Pontificem ſæpius propoſitis, res opportuna diſcuſſione agitata fuit: demum viſa iuſtitia regiæ petitionis, cui ſecũdum iuris neceſſitatem nec venia dari poterat, nec dilatio, ex ſacri Senatus conſulto declaratus eſt legatus Johannes Borgia Pontificis nepos Sanctæ Suſannæ presbyter, Cardinalis montis regalis nuncupatus, vir & authoritate, & integritate maximus, miſſusq; Neapolim cum ingenti Prælatorum & curialium comitiua ad Regem inueſtiendum & coronandum. Quod & factum eſt tanta cum ſolennitate & ceremoniarum omnium exactiſſima obſeruantia, vt nullum ſacrum ſolennius vnquam in ea vrbe celebratum fuiſſe credatur. De Alfonſo optime ſperatur, cum enim ſe humiliauerit, & debitum fecerit Eccleſiæ dominæ ſuæ, vt tenetur, iuuabit eum Deus, ſicut iuuit illos ſuos anteceſſores, qui de matre ſua Eccleſia bene meriti fuerunt. Et Alfonſum auum ſuum omni laude maiorem ita repræſentabit factus Rex, ſicut hactenus repræſentauit nomine & opere in Ducatu.


Carolus Rex Franciæ, qui iuuante Ferdinando de recuperanda Græcia ſancte cogitans, prius ad regnũ Apuliæ ex prætenſo iure Andegauenſium aſpirare di-

dicebatur, audita morte Ferdinandi, & coronatione Alfonsi, visus est sermones de armis assumendis attentius audire, suadentibus sibi multis, præsertim his, qui à regno Apuliæ exulabant, quod Regi in terram Sanctam auitos honores, vt in Domino confidit, adæquaturo, vel superaturo ad acquirendum ex parta Apulia transitum, opportuna Italicorum auxilia non deficient. Misericors Deus faueat timentibus se: à quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia.

SANCTITATIS VESTRÆ
seruulus, Felinus Sandeus.

NVtum eius qui cuncta potest (nefas enim erat non obtemperare) secutus, diuersa, vt potui, breuiter collegi, clementissime Pontifex, inculta fateor, ornatioribus siquidem Musis non insisto. Verum si historiæ maiestatem, orationis elegantiam, & quid de his iura velint, S. V. scire optauerit, poterit hanc Traiano Iurisconsulto optimo, Iohannique Pontano Oratori maximo, regiis consiliariis prouinciam demandare, etenim qui melius hæc illis calleant, inuenientur perrari.

A L I-



ALIQVID DE GENEALOgia Alfonſi primi, & cenſu.

IOhanna prima ſucceſſit Carolo primo, per medias perſonas aui & proaui eiuſdem. Et inter eam, & Regem Fridericum ſucceſſit conuentio confirmata à ſede Apoſtolica, qua remanſit Iohannæ terra citra Pharum, cum honore regalis tituli regni Siciliæ, Friderico vero inſula Siciliæ cum titulo regni Trinacriæ, quod à præfata regina ea viuente recognoſcere deberet, & ſibi homagium & fidelitatis iuramentum præſtare, & cenſum XV M. flor. annuatim ſoluere. Poſt mortem vero ipſius Reginæ, ſi nulli ex ſuo corpore ſupereſſent liberi, ipſe Rex regnum ipſum Trinacriæ à ſummis Pontificibus & à ſede Apoſtolica ſe tenere recognoſceret, & dicto regno Siciliæ ad manus Eccleſiæ redeunte, nihilominus prædictum cenſum ſoluere teneretur, & hoc ſub pœnis in bulla contentis, & quot in eo tranſuerſales ſibi ſuccederent.

Mortua Iohanna ſine liberis regnum ad Eccleſiam rediit, Friderico in regno Trinacriæ Alfõſus ſucceſſit, per medias perſonas patris & Regis Martini proauunculi ſui, qui præfato Friderico ex linea tranſuerſali coniunctus in dicto regno ſucceſſerat. Poſtquam ergo regnum Siciliæ ex morte Reginarum Iohannæ primæ & ſecundæ ſine

liberis decedentiũ ad Ecclesiam redierat, tenetur Alfonsus Rex ex fœdere cum Friderico Ecclesia authorizante inito, annuum censum Romanæ Ecclesiæ XVM. flor. persoluere. *Hæc ab incerto authore in libro Informat. CCCXIII.* Et ibi allegationes, quod cum Alfonsus & posteri non sint inuestiti de regno Siciliæ: sc. vltra Pharũ, sed solum de regno Apuliæ citra Pharum, non tenetur ad integrum censum octo millium vnciarum. Sed debent propter Siciliam detrahi dicti XV. mille floreni; & quando fuit primitus impositus dictus census octo millium vnciarum, comprehendebatur in inuestitura vtrumque regnum, citra & vltra Pharum, hoc est Apuliæ, & Siciliæ.

GENEALOGIA CAROli prima descensiue.

CArolus primus genuit vnicum, videlicet Carolum secundum, captum in Aragonia. Ex isto multi.

Mortuo Carolo primo & Carolo secundo existente captiuo, Carolus primogenitus Caroli secundi successit in Apulia. Reuerso ex captiuitate Carolo secundo, iste Carolus dictus Martellus suus primogenitus ex materna hæreditate Hungariam obtinuit.

Carolo secundo mortuo; etsi in Apulia succedere debuisset Carolus primogenitus Hungariæ Rex, successit tamen Robertus secundo genitus Caroli. Ex Roberto vnigenitus Carolus in Thuscia defunctus. Ex eo Iohanna, & alia. Ex Carolo fratre Roberti Rege Hungariæ Carolus præmortuus patri. Ex eo Andræas, & Ludouicus.

Andræas factus coniunx Iohannæ opera Roberti bonam fidem recognoscentis. Necato Andræa Ludouicus nepos Roberti frater patruelis Iohannæ eam in vxorem

rem duxit Ludouicus frater Andrææ vltus necem fratris, *vt sup. Hæc Archiepiscopus 3. parte fol. 118. §. 4.*

Retuli supra excerpta ex Blondo in suis historiis, postea reperi eum duo folia describentem de Regibus Apuliæ in lib. de Italia illustrata in regione Aprutii, & ex eo hæc iterum excerpsi non tamen vltra Iohannam primam scribit, quoniam ab ea citra ad historias suas remittit. Summa summatum Blondi hæc est: Per tempora Ludouici Francorum Regis Tancredus miles Normannus habuit XII. filios ex duabus vxoribus, hi mixti bellis Apuliæ eius dominio potiti sunt, Melfin ædificant.

Tancredo mortuo succedit Drogo filius dictus Comes Apuliæ. Huic successit Hunfredus an. VII. huic Gotfredus qui moriens reliquit hæredem Bagelardum filium. *Sup. cap. 4.*

Robertus Guiscardus sextus filius Tancredi, hunc expulit Robertus, creatur Dux Apuliæ à Nicolao secundo, & de fratrum consensu ita appellatus. Cursus mirabilis Roberti, & fratrum in XVIII. annis. Vltimus fuit, MLXX. Gregorius septimus Robertum confirmauit ea lege, vt Marchiam Anconitanam restitueret, prout fecit inde pro Ecclesia totus. *Hoc tempore Leo IX. captus in Apulia & liberatus Normannos confirmat secundum Blondum sed aliter supra cap. 5.*

Rogerius filius minor Roberti ab Vrbano II. confirmatur in regno. Boëmundus maior natu strenuè in terra sancta *cap. 7.* Guielmus succedit Rogerio patri & Græciam petit pro filia Alexii *cap. 8.* Rogerius filius Rogerii fratris Guiscardi regnum occupat. *Rexit annis XXV.* *Rexit annis XXIV.*

Calixtus II. cum Cardinalibus ob id Beneuentum se contulit, lectica in vrbem relatus.

Innocentius II. (nam Honorius II. Calixti successor hæc dissimulauit) mouet bellum Rogerio intruso. Dux Calabriæ filius Rogerii capit Innocentium, pater liberat, omnia præter regni titulum assecutus. *Captus Innocentius II.*

Primus absurdus Rex. Dum Innocentius in Franciam nauigat propter repertum Romæ Pet. Leonem intrusum Anacletum dictum, Rogerius ab Anacleto primus omnium Normannorum vtriusque Siciliæ regni absurdum titulum obtinuit.

Innocentius II. vicit in Apulia. Innocentius tertio anno reuersus Romam, Lotharium Teuthonicum Imperatorem declarauit. Ambo ad Rogerium cum exercitu profecti spoliauerunt eum omnibus, quæ citra fretum Siculum occupauerat.

Supra cap. 9. Recuperauit omnia Rogerius mortuo Innocentio, negligentibus successoribus Celestino primo, & Lucio secundo, Eugenio etiam tertio difficultatibus agitato.

Rexit annis XXV. Primus Iustus Rex. Guielmus filius Rogerii ab Hadriano IV. primum, post à tertio Alexandro regni Siciliæ, ac Ducatus Calabriæ & Apuliæ titulis ornatus, regnauit annis XXV. temporibus Lucii III. Vrbani III. & Clementis IV. *cap. 10.*

Tancredus filius spurius Rogerii succedit Guielmo sine prole defuncto. *cap. 12.*

Rexit annis VIII. Heinricus VI. tunc Imperator ducta Constantia prius monacha Rogerii filia Tancredum expellit. *cap. 13.*

Duæ Constātia. Eridericus II. Imperator ex Constantia natus succedit Heinrico. Hic duæ Constantiæ, vna olim monacha vxor Heinrici, & nunc Friderici. Alia vxor Friderici, filia Regis Aragonensis, soror Heinrici Regis Castellæ. *cap. 14.*

Conradus mortuo Friderico patre regnum capit, opera autem Manfredi venenatur. *cap. 15.*

Innocentius IV. obit. Innocentius IV. Neapolim accedit contra Manfredum & ibi moritur, Manfredus vt tutor Coradini in Germania cum matre existentis regnum occupat, simulata mox Coradini morte Rex acclamatur.

Fractus Alexander IV. 1166. 4. Id. Maii. Alexander quartum conducto exercitu contra Manfredum frangitur cum dedecore, Vrbanus IV. crucia-

tam

tam indixit, & expulit Sarracenos, qui Manfredo militabant. *cap. 6.*

Carolus Prouinciæ Andegauiæque Comes factus vrbis Senator, mox coronatus ab Vrbano IV. *cap. 17.*

Idem facit de Coradino nepote Friderici II. ex Heinrico filio eiusdem.

Petrus Aragonensis post occisos in Sicilia Gallos, Siciliam capit ex persona Constantiæ vxoris filiæ Manfredi. *Constantia origo iuris Aragonēsis. 1343.*

Carolo secundo succedit Robertus. *cap. 19.*

Roberto Iohanna prima *cap. 20.* Ladislaus succedit Iohannæ primæ *cap. 24.* Ladislao Iohanna II. *cap. 26.* Johannæ secundæ Ludouicus *cap. 25.* Renatus *cap. 27.* Alfonsus *cap. 28.* Ferdinandus *cap. 29.* Et Alfonsus *cap. 30.*

Normanni tenuerunt regnum Neapolitanum annis CCCXXXV. Germani annis LXXVI. Galli annis CLXXVIII.

Alfonsus annis XII. Ita Blondus CCCCI. Post Blondum adhuc Alfonsus annis X. quidam XXII. vt supra Ferdinandus annis XXXIX. Aragonenses annis LXI.

EXITVS PONTIFICVM, qui cum armis contra dominatores Apuliæ iuerunt.

LEo IX. captus & liberatus confirmauit Normannos. Calixtus II. ægrotantibus Cardinalibus ipse etiam lectica relatus est Romam.

Innocentius II. captus omnia concessit Rogerio, præter titulum. Iterum reuersus in Apuliam illum spoliauit, qui mortuo Innocentio omnia recuperauit. Inno- *Ex proxime notatis.*

centius quartus cum exercitu in Apuliam mouens ibi moritur. Alexander IV. contra Manfredum fractus rediit cum dedecore. Innocentius VIII. moto arduo prælio contra Ferdinandum pro magna gratia habuit pacem à Ferdinando.

Ex historia Hungarorum Iohannis de Thurotz folio 74. solum quoad genealogiam Caroli Martelli, & de Carolo eius filio.

Rex Stephanus Hungariæ V. filius Belæ quarti Regis habuit vnam filiam nomine Mariam. Maria fuit vxor Caroli Claudi filii Caroli Magni, cui Ecclesia dederat regnum Siciliæ. Ex Carolo isto II. & Maria genitus Carolus Martellus nomine Carolus Martellus nepos Caroli primi Regis Apuliæ genuit filium ex Clementia filia Imperatoris Rodulphi, quem primo in terra sua vocauerunt Carobertum, quasi Carolum, Robertum.

1409. In Hungaria autem ablato Roberto ipsum Hungari Carolum vocauerunt.

Bonifacius VIII. Bonifacius Papa VIII. misit legatum contra Andræam Regem Hungariæ, vt iste Carolus puer XI. annorum, eo eiecto, regnaret, frustrati spe redierunt ad propria. Andræas obiit MCCCI.

Barones ne suscipiendo Regem ab Ecclesia datum, libertatem regni liberi amitterent, elegerunt Wenzeslaum Regem Bohemiæ.

1303. In Hungaria verò aliqui appellabant Regem Carolum puerum, sed verbo tantum; aliqui Ladislaum filium Wenzeslai. Qui Wenzeslaus ex Bohemia iuit in Hungariam, & accepta regia corona simul, & Ladislao filio in regnum suum reuersus est.

1305. Dux Bauariæ intrudit se violenter in regno Hungariæ, & eiicitur, frater gentilis ordinis minorum presbyter Cardinalis mittitur à Clemente V. in Hungariam, vt curet

curet Carolum puerum accipi ab Hungaris in Regem, vno anno substitit. mox anno MCCCIX. censuris terribiliter coëgit, proceres compulsi acceperunt eum in Regem.

Carolus per Bonifacium restituitur ad regnum paternum occupatum à tyrannis & à populis, qui Ludouici Andegauensis partes secuti fuerant. Et quoniam occupatores tam vrbis Neapolitanæ, quam cæterarum partium regni innitebantur priuatione, quam fecerat Nuceriæ Vrbanus VI. ob delictum Caroli, vt supra cap. proximo. Ideo Bonifacius eam priuationem abrogauit, & curauit Ladislaum coronari in Caieta per manus Cardinalis Florentini, soli enim Caietani Ladislao, & sorori Iohannæ fidem constantissime seruauerant. *Blondus ad finem secundæ decadis.* *Bonifacius IX.* 1401.

Et subdit folio sequenti, quod dum Rex Ladislaus obsidione premit, recipitque Iaderam, audiuit Neapolitanos coniurationem cum quibusdam regni proceribus iniisse, & populos pendere ad rebellionem, quare Iadera Venetis, quorum pluries fuerat, vendita, Neapolim rediit, & neminem in regno esse permisit, qui vel oppidi aut arcis retinuerit dominatum. Et cum multos patria eiiceret in Seuerinatum familiam crudeliter animaduertit, quorum primores capitali supplicio affecti sunt. *Plura de Ladislao non narrat Blondus, sed in 2. decade lib. 1. continuat gesta Iohannæ Reginæ secundæ sororis Ladislai.*

Anno MCCCCIII. mense Iulii profectus est Ladislaus Iaderam cum magna comitiua, quia maior pars procerum Hungariæ repudiauerat Sigismundum filium Caroli Imperatoris, & germanum Ladislai, Regis Bohemorum, depositi ab Imperio. Et proceres, qui Ladislaum vocauerunt obuiantes fecerunt eum coronari per Episcopum Strabonensem, ad quem *Sigismundus filius Caroli Imperatoris repudiatur.*

de more spectat talis coronatio. Cum autem præmisisset Comitem Bacaricum de Sancto Seuerino cum lanceis trecentis, vt regni possessionem caperet, reperit mutatam Hungarorum sententiam, qui malebant Sigismundum, & ad idem se flexerunt, qui Ladislaum vocauerant, & ita deceptus recessit. *Archiepisc. 3. parte fol. 150.*

Maria quōdam Raimundelli vxor, postea Ladislai.

Anno MCCCCVII. cum Ladislaus in Apulia obsideret ciuitatem Tarentinam, in qua dominabatur Ducissa olim vxor Raimundelli de Balzo, cum filiis suis Comitibus Litii, post multa prælia eam duxit vxorem cum filiis Tarentum accipiens: hæc vocata regina Maria, quæ longo tempore Regi superuixit ad sua reuersa. Aliam prius habuerat vxorem filiam Regis Cypri, quam dicitur veneno extinxisse, nulla ex ea prole suscepta. Veneno & ipse in adolescentia potionatus exenteratis mulis calidis intromissus malitiam virus euicit: siue autem ex eo, siue ex alia causa, quasi balbutiens non prompte verba valebat exprimere.

Ludouicus de Migliorotis, nepos olim Innocentii VII. qui XI. Romanos trucidari fecit, rebellis Ecclesiæ, & eius pastori, cum multas ciuitates sibi vsurpasset, in Marchia cernens se insufficientem ad resistendum Ecclesiæ, amicitiam cum Ladislao iniit: pro cuius rei fœdere, Esculum postquam exspoliauit, ei concessit, in eiusque compensationem Rex eum Comitem instituit Monopolii, & quorundam circa illud castrorum, sed non multo post Rex ei abstulit sub aliquo prætextu. *Archiepiscopus vbi supra.*

Leonhardus Aretinus, qui fuit Secretarius Innocentii VII. & Gregorii XII. Epistola XIX. *quod flagitas.* Et XXIII. *postquam alias*; scribit, quod vacante sede obitu Bonifacii IX. considerauit Ladislaus, quod Pontifices, qui tempore schismatis erant Romæ concesserant

regnum

regnum Ladislao: qui vero in Galliis Duci Andegauensium. Quare timens ne Gallicus eligeretur in Pontificem, omnes machinas adhibuit ad impugnandam vnitatem. Intererat enim sua, vt per diuisionem perpetuam sedes Romana imbecillior maneret. Oratores item ex Gallia instabant pro electione. tandem electus est Angelus nobilis Venetus, Gregorius XII. nuncupatus.

Epistola sequenti, *scripsi nuper*, late describit, quod copiæ Ladislai Regis cum Romanis exulibus Duce eorum Iohanne cum Nicolao Columnensibus via Latina ad XII. lapidē appropinquarunt vrbi, erecta metu Roma ad Gregorium Pontificem currit, ille affirmat conficta esse omnia. Nocte sequenti in prima vigilia milites regii intrant vrbem per vastæ solitudinis loca. Clamor sublatus per vrbem diffunditur, itur ad arma, Pontifex in Castellum sancti Angeli se reduxit, Cardinales fuga maxime versus Sutriū sibi consulunt. Inde animi Romanorum debilitati; ea nocte hostis superior fuit. Nec iam procul à Capitolio pugna erat. Albescente iam cœlo Paulus Vrsinus cum equitatu accurrit, & à fronte & à tergo hostes cingens, eos in fugam vertit: Ex mœrore lætitia ingens. Miratur Leonhardus rei spectator tantam mutationem tam breui tempore contigisse. Fuerunt, qui secundum eum putarunt totam hanc rem à Pontifice de industria compositam, vt mentio vnitatis obrueret: promiserat enim cum iuramento & voto ante & post electionem, de renunciando, quotiens in fauorem vnionis de hoc requireretur. *De his etiam latius scribit Platina in Gregorio XII.*

Erat tempore huius motus Paulus Vrsinus in vrbe ad stipendium Ecclesiæ cum mille equitibus: Et in hac victoria habuit captiuos Iohannem, & Nicolaum Columnenses. Rex autem Ladislaus cum ad mœnia expectaret prosperum rei exitum, & nullum signum videret,

non est ausus ingredi, nec vllam opem Columnensibus præstitit, audaciam concitati Romani populi timens: Paulus autem Vrsinus, qui ante prætendens se creditorem Gregorii LX. millium florenorum, & ratione stipendii, & ratione mutui facti in coronatione, ideo Thuscanellam sibi vsurpauerat, nunc mense Augusti: hanc victoriam secuti; quasdam etiam terras habuit à Gregorio pro stipendio. Inde Gregorius è Roma discessit pro materia schismatis tollendi. *Archiepiscopus tertia parte fol. 150. c. 4. in princip. & fol. 154. §. 4.*

Ladislaus Rex non contentus quod semel periculo Romanorum dominium Ecclesiæ Romanæ vexasset, tempore Innocentii VII. Et iterum Pontificante Gregorio XII. Romam in tanto bello ciuili Deo sibi omni tempore resistente implicasset; tertio idem facinus aggressus Romæ dominium, Deo non tamen ad multum tempus sinente, adeptus est. Nam absente Gregorio, qui ex Roma Lucam sensim petierat, fœdere inito cum Cameracensi, & aliis tyrannis Marchiæ. & cum Paulo Vrsino, qui tunc vrbem gubernabat, habita etiam occulta intelligentia cum Columnensibus, & Sabellis, posuit quatuor galeas in faucibus Tyberinis obsessa fame Roma. Vnde Hostienses, hostiam enim ei dederunt.

Ladislaus dominatur urbi. 1408.

Romani aduertentes varietatem Pauli & aliorum, Hostiam captam, partem exercitus regii in vrbem inductum tradiderunt Romam Regi, qui die XXV. Aprilis MCCCCVIII. magno triumpho ingressus est, capto eodem die Capitolio in deditionem, & aliis fortalitiis vrbis, & habitauit iuxta palatium Papæ in habitationibus Camerarii.

Paulo post detectum est, quod gubernator Genuæ tractatum habebat cum Paulo Vrsino de danda Roma Benedicto Papæ XIII. Et illud forte secutum fuisset, nisi tem-

pesta

pestas maris traxisset ad portum Veneris XIII. galeas Ianuensium, quæ ex Ianua Romam veniebant præmissis ebullientibus, quæ postea à Gregorio allegabantur contra Benedictum simulatorem optatæ vnionis.

Rex Ladislaus capta Roma bellum mouit in Hetruria, vexatis diu Senensibus, & Florentinis; sed interuentu etiam Venetorum dimissis copiis in variis locis reuersus est Neapolim.

Hoc tempore Ludouicus Andegauensis Dux filius ipsius Ludouici, qui descenderat in Italiam contra Carolum Regem Apuliæ patrem Ladislai, auditis prædictis, & oppressione, quam Ladislaus inferebat Florentinis, inito cum eis fœdere, venit Pisas cum quinque triremibus armatis, & adorauit Alexandrum Papam V. tunc Pisis creatum, viuentibus Gregorio, & Benedicto, declaratis ab illo Concilio intrusis.

Postulauit Ludouicus ab Alexandro Papa concedi sibi regnum Siciliæ, & Ierusalem, quod dicebat sibi debitum; Pontifex habito tractatu cum Cardinalibus, postulata concessit, cum scilicet vacaret dictum regnum, & ad Ecclesiã deuolutum esset. Et quoniam alias per Benedictum fuerat de dicto regno Auinione coronatus, non est eis visum congruum, illud reiterare. Mense Augusti anni sequentis scil. MCCCCIX. factus est idem Ludouicus vexillifer Ecclesiæ, datis sibi insigniis ad procedendũ contra Ladislaum inimicum Ecclesiæ, cum faueret Gregorio iam ab eis deposito, & Concilii inimico. Et ordinarunt quod Malatesta de Malatestis capitaneus Florentinorum, & legatus Bononiæ Balthasar Cossa cum suis gentibus recuperarent Romam. Quod tandem factum est iuuante Paulo Vrsino, & populo Romanorum, qui se Regi rebellarunt. Et Malatesta cum triumpho Romæ receptus est. Paulo post Alexander Papa obiit Bononiæ.

Alexãder V. concessit regnum Ludouico Andegauensi ut deuolutum viuente Ladislao hoste Ecclesiæ.

Creato Bononiæ Iohanne XXIII. an. MCCCCX. cum ad vrbem venisset, opera Pauli Vrsini, & Sforciæ & Ludouici Andegauensis, quem Alexander Papa Regem nuncupauerat, Ladislaus profligatur. Anno sequenti Ladislaus rupta pace cum Pontifice Paulum Vrsinum cum copiis Pontificis in Picentibus obsedit. Iohannes Roma à Ladislao pulsus cum copiis suis Florentiam venit. Ea æstate cum Bononiæ resideret Iohannes Papa suspensis omnium animis, & ad concilium se præparantibus, Ladislaus Rex moritur. Anno MCCCCXIII. Liberata Florentia à certissimo iugo seruitutis, quod breui subiisset. Successit Ladislao Iohanna soror.

Ladislaus profligatur ab vrbe.

Ladislaus moritur.

CAPVT [illegible]V.

LVdouicus Andegauensis posthumus eius Ludouici, qui adoptatus à Iohanna cum Carolo tempore Vrbani VI. contendit, hoc anno Pisas venit, & concessionem regni Apuliæ ab Alexandro Papa recepit. Qui confestim cum exercitu contra Ladislaum perrexit, & cum eo Balthasar Cossa qui fuit postea Iohannes XXIII. nunc legatus de latere, & circa Romam cum maximis copiis statiua faciens, ab vrbe vltra progredi non fuit ausus. Sed Balthasar Cossa factus anno sequenti Bononiæ Pontifex, Romam profectus, opera Pauli Vrsini, & Sforciæ Ladislaum Romanam ditionem vexantem profligauit. Anno sequenti Ladislaus reassumptis viribus coëgit Iohannem præ timore exire Roma, & primo Florentiam, post Bononiam, deinde Mantuam profectus est, & cum Sigismundo Imperatore de expellendo Ladislao conuentum habuit Laudæ & Cremonæ: in quibus dum insistit, à Concilio Constantiensi citatus & comparens deponitur.

Alexander V. 1409. Ludouicus filius Ludouici Andegauensis viuente Ladislao inuestitur. 1410.

Iohannes XXIII.

CAPVT

CAPVT XXVI.

IOhanna eius nominis secunda Ladislai Regis soror fratre sine liberis absumpto, in Apuliæ regnum successit, & regnauit annis XXI. varias Regina lites forti animo ferens: multi enim Reges, & adoptione & armis eo regno se arguebant digniores. Alfonsus tamen Tarraconensis Rex contra reliquos præualuit: cuius attauus Petrus Rex Aragonum contra Carolum primum regnum sibi vendicauerat. Hunc autem Alfonsum regina sibi in filium adoptauerat, qui tamen paulo post eam Neapoli expulit; receptamque etiam interdum in vrbis arcibus obsedit, eius instabilitatem, & mores non iniuste domitans. *Supplementum.* *Iohanna XXIII. 1414. Inchoante Concilio Constantiensi.*

Iohanna mortua deleti sunt XVI. ex primoribus, quos appellarunt consiliarios, qui testamentum falsum confinxerunt, in quo ex centum & quinquaginta millibus aureorum relictis LXX. millia pro vsibus ciuitatis legata, & Renatum fratrem Ludouici (de quo paulo ante) successorem conscripserunt. Orta inter regnicolas varietas, aliis Renatum, aliis Alfonsum volentibus, Aprutini illi se vouent quē Pontifex el. gerit: refertur Pontifici Eugenio per Oratores suos, populum Neapolitanum ad solum Renatum procliuiorem. Patriarcha ab Eugenio missus pro scelerato habitus non recipitur: Alfonsus à factione amica vocatus ex Hischea insula nauigans, in Sinuessanos extensione facta copias parauit; cui Vrsini & columnenses adhæserunt. *Renatus frater Ludouici.*

Gesta huius Iohannæ latius cæteris scribit *Blondus in tertia decade lib. primo versiculo: Id factum narraturi.* Et quod videri potest pro longa informatione, ideo summatim excerpsi capita rerum, prout etiam feci in præce-

dentibus, licet hactenus nullibi ita concinnatè institerit. Blondus in historia ista, sicut in Iohannæ temporibus.

Summatim etiam scribit progressus Alfonsi *Pogius in lib. de varietate Fortunæ, fol. 48*. Et multa colligi possent ex libro *Ant. Panhormitæ de dictis, & gestis Alfonsi.*

Iacobus Maritus Iohannæ secundæ.

Iohanna adepto regno Neapolitano, quod etiam aliquando regnum Apuliæ, aliquando Siciliæ citra Pharum vocatur, assumpsit in virum Iacobum Marchiæ Comitem ex stirpe Francorum, sed patrimonio tenui, ea conditione accitum, vt Regis abstineret nomine, rerum omnium imperium penes Reginam esset. Postmodum mutata sententia Regem appellari, haberique voluit, secundum Pogium late describentem leuem eius animum, moresque non ferendos. Ille Sforciam carceri tradidit, & Pandulfellum, qui Reginam stupro infamauerat, occidit.

Et de gestis illius Iohannæ filiæ Caroli tertii Regis Apuliæ, & germanæ Ladislai Regis scribit etiam Archiepiscopus *parte tertia fol. 159. §. 6.* vbi appellat eam *inconstantem & parum pudicam.*

Iacobus Gallos præfecit regni administrationi. Indignati multi, & ipsa Iohanna in nullo pretio habita: quæ tamen astu cuncta dissimulat, & marito blanditur.

Iulius Cæsar Capuanus reginam tentat de occasione Iacobi. Iohanna id reuelat Iacobi coniugi. Iulius securi percutitur: Regina illigratior, & libertati datur de egrediendo ex arce, & fidem adipiscitur cum marito à se deprimendo.

Iacobus carceri traditur: Serrianus extollitur, in quem Iohanna deperibat. Ille Sforciam extinguere conatur, & frustra. Sforcia cum armatorum caterua populum hincinde alloquitur, & pro Reginæ statu, ac honore, ac Serriani deiectione omnem mouet vrbem.

Regina

Regina populum contra Sforciam inflammat, vnde omnis eius acies dissipatur. Ipse fugiens bello agitat Neapolitanos. Coacti Neapolitani obtinent à Regina Sforciam reintegrari. Qui reintegratus Serrianum exilio dari obtinet, & Iacobum Regem ea lege restitui, vt Tarentino Comitatu contentetur. Iacobus restitutus coniurationem firmat ad exitium Sforciæ, Sforcia territus insidiis in eum paratis, curauit Serrianum cordi reginæ sculptum reduci, ambos pariter visa est diligere.

Iacobus tandem in Galliam vnde venerat, tenuis est reuersus, ac Comes ex Rege factus, ostendit verum esse prouerbium vulgatum: *Secundam fortunam stulto nequaquam esse diuturnam.*

Martinus V. oppressus à Bracciomontone Viterbium infestante, Sforciam conducit, & Reginam opem ferentem coronat. Fracto Sforcia regina coniungit se Braccio, & reginam regno priuauit. Et Ludouicum Andegauensem ex regia Francorum stirpe Regem Siciliæ declarauit.

Sforcia signa militaria Reginæ remittens se illi hostem aunciat affuturum. Iohanna metu pulsa Alfonsum Aragonum Regem in filium adoptauit, quem Genuenses non incruenta victoria antea vicerant bello nauali, propter Bonifacii Castellum in Corsica.

Prælium inter Martinum Papam, & Iohannam aliquot mensibus pari fortuna durauit. Demum Brauus pacem composuit. Alfonsus Reginæ instabilitatem domaturus, illam in Neapolitana arce obsedit, quæ Sforciæ ope implorata, Alfonsum fugauit, & fudit. Tandem Alfonsus fauore populi vrbe Neapolitana potitur, & partem mari expositam diripuit.

Regina Alfonsi adoptionem reuocauit, & Ludouicum Andegauensem, à Ludouico antea Regem declaratum, in filium adoptauit.

Philippus Maria Dux Mediolani cuncta perlustratus egreditur, & Pontificem Martinum, & Iohannam ab Alfonso obsessam adiuuaturus, classem potentem ex Genuensibus paratam mittit ad oram Apuliæ, Caietam recepit, & oram Apuliæ in Iohannæ ditionem redigi curauit, & auxilio Iacobi Caudolæ qui Aragonensi militabat, & ad eos defecit vrbe potiti, & arce intrinseca, quæ dicitur Capuana, viribus expugnata. Alfonsus iniuriam prætendens à Ludouico Andegauensi, quæ oblatam à Regina adoptionem, & oblatam a Philippo classem renuere debebat, cum classe quam ex mari infero reduceret ex itinere deflexit ad Massiliam Andegauensi familiæ subiectam, & eam improuise deprædatus est, vasis sacris, & reliquiis Valentiam delatis. *Hæc Blondus* licet longiori narratione.

Alouisius Rex Ludouici Regis filius consecutus à Martino titulum regni Neapolitani cum consensu omnium Cardinalium adoptatus, plus à Iohanna studio partium ab vrbe Neapolitana submotus in Calabriam secessit. Alfonsus Martino infensus conatus est prorogare concilium, quod Martinus inchoare iusserat Papiæ, & ex Papia propter pestem Senis iuxta decreta Concilii Constantiensis, & quæsiuit restitui causam Petri Lunæ Benedicti XIII. adhuc in Paniscalia superstitis. At Martinus periculo præuiso mandauit statim concilium dissolui, ad aliud septennium differens. Conquerebatur palam Alfonsus prælatum sibi à Martino Alouisium. Excusabat se item Martinus, quoniam, cum Alouisius esset institutus hæres à Iohanna, & ab Alexandro V. & Iohanne XXIII. in regno prius confirmatus ad Papam spectabat, feudata-

rios

rios Ecclesiæ confirmare, non tollere: Vnde se non videre cur Alouisius Iohannæ, suo iussu coronatæ, legitimus hæres esse non posset. *Platina in Martino ad finem.* Postea Alfonsus in gratiam Martini rediit, & cum mortuo Petro de Luna electus fuisset antipapa Egidius canonicus Barchinonensis, Alfonsus ad eum misit Alfonsum Borgiam, qui postea fuit Calixtus Papa, & ipse Egidium ad sanitatem deduxit, & Pontificio nomine abdicato in potestatem Martini deuenit. Inde Martinus Egidium Maioricensem, & Borgiam Valentinum Episcopum creauit. *Platina in Calixto in principio.*

CAPVT XXVII.

RENATUS Rex, Francorum genere natus frater Ludouici Andegauensis, quem eodem anno vita functum Johanna pridem adoptauerat, vocatus à regina Iohanna contra Alfonsum Regem superioribus annis. Cum regnasset VI. annis, ab Alfonso superatus regno deiicitur, & in Galliam migrauit. *Eugenius IV. 1401. Renatus.*

Iterum anno Domini MCCCCLIII. Renatus rediit in Italiam cum duobus millibus equitum, hortatione Francisci Sforciæ Ducis Mediolani & Florentinorum. Et primo venit contra Venetos, & iunctus Bartholomæo Acoleo multa oppida cepit. Hyeme superueniente animatus in Franciscum Sforciam, & Florentinos relicto apud eos Johannæ filio, in Galliam rediit, vbi apud Massiliam reliquum vitæ suæ in pace finiuit. Referunt scriptores multa de hoc Renato, concludentes eum Regem omni laude maiorem. *Iohannes filius Renati.*

CAPVT XXVIII.

ALfonsus Ferdinandi Aragoniæ Regis filius expulso Renato regnauit annis XXII. post adoptionem e- *Idem Eugenius. 1442.*

Alfonsus Aragonensis abnepos Petri Regis Aragonum, de quo supra in Carolo primo.

enim à Regina Iohanna secunda delusus, ipsam, donec vixit bello fatigauit, eâ mortuâ contra Renatum mouens vniuerso tandem regno potitus, curru aureo Neapolim inuectus, triumphauit. Inde Florentinis bellum sine causa intulit, & re infecta Neapolim reuersus, obiit, relicto Ferdinando filio extra matrimonium nato: in Aragoniæ autem regno Iohannes frater successit.

Bellum inter Aragonensem & Renatum Andegauensem pro regno Apuliæ late describit *Blondus 7. lib. tertiæ decadis, permixta tamen narratione omnium bellorum, quæ eodem tempore in Italia viguerunt. Excerpta ex eo summaria: quoad rem Neapolitanam, sunt hæc:*

Alfonso regnum ingredienti obiecit se Iacobus Caudola. Philippus Dux Mediolani fauebat Renato, Columnenses cum complicibus Alfonso.

Magna classis Alfonsi venit Caietam. Et cum essent Caietæ Genuenses multi cum mercibus, de eorum præda cogitabat classis.

Hoc bellum eleganter describit Pius *in historia temporum suorum, in VII. vltimis foliis.* Et de bello omni via iuris moto per Alfonsum multa respondit Pius Senis oratoribus suis in oratione, incipiente: *De regno Siciliæ, cuius proprietas, &c.* vbi grauiter inuehit contra Renatum, qui appellauit ad futurum Concilium.

Genuenses solliciti de periculo suorum in Caieta, qui etiam moleste ferebant incrementa Cathelanorum in Apulia, iussu etiam Philippi potentem classem obiiciunt Alfonso. Obuiauit in mari plenis velis, & vtraque classis bellum ardet. Genuensis præfectus proximus Cathelanis Dominis 40. stadio nunciat se pro suorum salute Caietam petere bellum, nisi ei transitus prohibeatur, non moturus. Respondent Reges, non petiturum eum Caietam, nisi armis via aperta: mox eleuatis velis adsunt Genuen-

ſes Regibus vix paratis. Concatenantur hinc inde trireme, ventus iuuat Genuenſes. Tragulæ etiam ex baliſtis contortæ, & calcium globi igniti, adeoque Alfonſus cum tota Regia cohorte à Genuenſibus capitur. In occaſu ergo ſolis prælium dirimitur.

Florentini cum mira celeritate reſciſſent Alfonſum captum à Genuenſibus, pro Philippo militantibus, illico pacem diu ante à Nicolao Eſtenſi tractatam, medio Eugenio concluſerunt, approbauitque Philippus victoriæ neſcius.

Rebus Eccleſiæ proſpere etiam aliunde reſurgentibus, applicuit Eugenius animum ad regnum Neapolitanum, ſed cum tempus hyemis ad traducendum illuc exercitum reſiſteret, contra Burgum ſepulchri oppidum duxit.

Genuenſes, quorum claſſica victoria, teſte etiam Senatu Veneto, poterat Philippum vniuerſæ Italiæ præponere, ſubita rebellione ab eo recedunt, indignati ex Alfonſi & captiuorum Regum relaxatione. Relaxati à Philippo Principes, maiores, quam antea motus parauere. Alfonſus videns ſe fruſtra laborare pro Genua, ad Philippum reducenda Caietam conceſſit.

Dum Franciſcus Sforcia, & Nicolaus Piccinius viderentur ab aſſuetis bellorum turbinibus quieſcere, Alfonſus in Apulia diſcurrit contra Patriarcham Alexandrinum, alias Cornetanum. Pauca vtroque digna acta ſunt, & caſtellis quibuſdam à Patriarcha expugnatis ab Aquilanis tributum pro allato eis præſidio exegit: deinde Patriarcha omnibus Albetenſium caſtellis direptis, Arinati oppido eſt potitus, patefacto ſecuro itinere in veteres Campanos, & regnum Apuliæ.

Cum omnia in circuitu paterent Patriarchæ, & territo Alfonſo regnicolas in ſui ſpē erexiſſet, ſublatis ſignis Ro-

mam rediit, siue commeatus & pabuli inopia ductus, siue quod id regnum capere noluerit, quod Eugenius Renato occulte promiserat, de quo Renatus postea conquestus est. Deinde Patriarcha variis per Apuliam incursionibus, deprædationibus, & terrarum occupationibus perpetratis, Neapolim ingenti pompa est ingressus, vbi cum Isabella Regina discors ad castra rediit, & ad mœnia Capuæ ducens, viso in mœnibus Alfonso, retrocessit, & apud Auersam castra metatus iunctis secum copiis Iacobi Caudolæ ad Sarcialam castrum se vertit, quo potitus illud prædæ exposuit obsessa arce.

Isabella vxor Renati Lotharingiæ Ducis.

Isabella coniunx Renati Lotharingiæ Ducis, qui cum Alfonso de regno contendebat, & per id tempus in captiuitate Philippi Burgundiæ Ducis distinebatur, ipsa cum duobus paruis filiis Caietam venerat, eaque præsidio firmata, Neapolim se contulerat. *Pius in historia suorum temporum ad finem.*

Patriarcha apud Beneuentum fregit Principem Tarentinum, capta parte equitatus sui fauore Iacobi Caudolæ. Iterum in eum mouens, conserto acri prælio Principem cepit, cuius legionem Gabriel Vrsinus eius frater seruauit. Oblata fuit ea die Pontifici facultas potiundæ Apuliæ, sed quia Principem Patriarcha benigne tractauit, & dimisit, indignatus Iacobus Caudola, hostis Principis, & Patriarchæ mollitiem spernens, exercitum seorsim continebat.

Creatus Cardinalis Patriarcha ab Alfonso sæpe insultatus est, tanquam viribus debilior ob Iacobi Caudolæ defectionem, quem Cardinalis inimicissimis insequebatur vocibus.

Hyeme media Cardinalis Salernum commigrauit, quem Alfonsus adeò obsedit, quod vel deditionem vel captiuitatem partam habuisset, nisi Cardinalis inducias impe-

impetrasset summo consensu Alfonsi, cui promisit & Iacobum.

Obiit Maria prima vxor Caroli Poloni filia Ducis Kasmerii. MCCCXVIII. duxit secundam scil. Beatricem filiam Regis Romanorum, sororem Regis Bohemorum. 1305.

Natus est Carolo filius vocatus Ludouicus. Eodem anno natus est ei secundus filius Andræas. 1326.

Obiit Rex Hungariæ Carolus, sepultus maximo planctu omnium regnicolarum, quoniam potens fuit opere, & sermone. Eodem anno coronatur Ludouicus eius filius, ætatis XVII. annor. Elisabeth Regina mater Ludouici visitauit sedem Apostolicam, transiuit per Apuliam, cui fuit obuius Andræas filius suus cum Iohanna 1343. Regina consorte sua: & ex Neapoli veniens fuit valde honorata etiam a populo Romano. Ex Neapoli rediit in Hungariam male contenta de moribus Iohannæ nurus 1344. suæ, quam vidit male tractare Andræam filium suum in regno Apuliæ.

Eodem anno Elisabeth Regina & Ludouicus filius Rex Hungariæ miserunt nunciis suis, qui erant cum Papa, XLIIII. millia marcarum, vt haberent à Clemente Sexto in Auinione inuestituram regni Apuliæ, pro Andræa filio marito Johannæ: nam ita promiserant Papæ, qui eos diu tenuit verbis.

Occiso Andræa Rex veniens in Apuliam vltus est 1346. necem fratris, expulsa Iohanna cum Ludouico Tarentino eius marito. Et dimissis ibi Stephano Vaiuoda cum Hungaris reuersus est in Hungariam.

Iterum reuersus Ludouicus in Apuliam diuturno bello omnia vexauit. Tandem cum esset annus iubilæus Romam venit, deinde in Hungariam reuersus. Postea exhortatus Ludouicus ab Innocentio V. per suum lega-

tum de latere vt relaxatis Baronibus, quos secum in Hungaria detinebat, dimitteret regnum Siciliæ, paruit, & per suos nuncios in manibus Papæ dimisit, saluo & sibi iure in regno competenti. Obiit Ludouicus MCCCLXXXII.

Maria filia Ludouici succedit in regno desponsata Sigismundo Marchioni Brandeburgensi, filio Caroli Romani Cæsaris, Elisabeth Mariæ tunc regebat nomine puellæ, fit coniuratio procerum contra fœmineum sexum.

Regnabat in Apulia Carolus, filius Andrææ occisi à Iohanna, nepos Ludouici, patris præfatæ Mariæ. Proceres contra Reginas eum ex Neapoli conducunt in Hungariam. Sigismundus sponsus Mariæ sentiens eius aduentum reducit se ad patrem Reginæ, vadunt obuiam Carolo, affirmanti se pro bono pacis venisse. Ille inter blanda alloquia trepidauit. Mox Carolus acclamatur Rex Hungariæ. Deinde opera Elisabeth Reginæ occiditur, & insepultus horrido cadauere diu palam iacuit, prius in Apulia excommunicatus propter non solutionem annui census debiti Romano fisco. Fit vindicta contra occisores Caroli, Regina in flumine suffocatur, Maria filia sponsa Sigismundi fuga saluatur: Sigismundus eius sponsus, qui etiam fuit Imperator, acclamatur ab Hungaris in Regem. Anno MCCCLXXXVI. die Pentecostes. Et quoad regnum Apuliæ, historia Hungarica aliud deinceps non tangit. Non dicit iste Historicus, aliquid de eo, quod dixi *cap. 22.* quod iste Carolus antea fuerat vocatus ex Hungaria contra Iohannam primam, quam interfecit.

MICHA-

MICHAEL FERINVS MEDIolanensis, ad Felinum Sandeum Ferrariensem Iurisconsultum, Rotæ auditorem, vtriusque Referendarium, Palatinum clarissimum.

Ad accusationis deprecationem.

AVdio succensere te mihi, mi pater, reuerende, mirificum nostri æui decus, quod hoc opus publicetur, quoniam sic ipse non compegeras, vt edi aliquando posse sperares. Potes quidem fortaßis tuo in me quodam iure, qui, cum ne dieculam prætermittam quidem, qua te pro forensibus negotiis non accedam, verbum vnum non fecerim: verum volo te scire, id minus ex ratione facere. Nam nec ideo nobis à natura præcellens animus ingignitur, & sublime inditũ ingeniũ, aut innata laborum, & studii patientia, vt quæ indies à nobis procudantur, in exemplum cæteris, tanquam virtutum calcaria, & imitabula quædam, prodire non debeant. Et poteras id futurum suspicari, quippe qui cerneres abiectißima quæq; ab mancipibus istis imprimi, vt plane intelligas alios cõplures id mox in tã perspicuo opere curaturos fuisse, quod ipse pro nostra beneuolentia, mea in te deuotione, pro tuo honore, diligẽter quidẽ suscepi: castigassem forsan, inquis, si circumferri putassem, & in consonantiorem ordinem,

exactiore lima, politiori stylo redegissem. Breue hoc, quod impensum tempus & tumultuarium studium, quasi id non agerem, quod à mea professione sit alienum. Et hoc ipsum ad tuam accedit gloriam mi Feline. Quis bipedum omnium qui quam præclaro præpolleas ingenio perspectum non habeat? Gloriosum quidem & veneratione dignum copiose & ornate cum intenderis dicere, longe excellentissimum & glorisissimum cum extemporarie & nullo negotio posses illud idem præstare: Sunt qui depromunt aliquid morosiores, & formidolosi: primaq; hæc in quocunque scribente laus, cudat nequid inconditum, quod legentes offendat: nec tu ob hoc ea te laude exuis. Et probe cum circumspicis & premere apud te opus malles. Sed ego eius semper fui animi, vt quodcunq; facias, id nisi in quempiam mordicus fueris, edas. Ne autem intercidat lucubratio, aut alia eueniant, quibus tuus labor sua gloria fraudatus inueniatur, sit saltem vt si quisquam euectius ingenium habere se norit, edendo certet: quod si non fecerint ipsi nebulones sunt. Et mira alitur ingeniorum vbertas, totaque illustratur, & clarescit, quod maxime eniti quisque debet tuo beneficio, ætas: tu ipse denique acueris, habes æmulos, clanculum liuentes carpunt, exserunt frontem alii. Incredibile id est animorum in te amicorum experimentum, vt delatorem iam contemnas: quocunque sese vitio suo indicante. Nec tamen inficias omnino eo, dolere me facto multorum non minimum, qui nonnulla mea, ignaro me, edide-

ediderunt. Nec id aduersatur cupere me quicquam faciam edi, & voluisse quædam interdum supprimi conscientia rerum illic perscriptarum, vel fortasse ætate aut ocio minus luculentum id & pensum libratumq; pergignente. Quo minus admirari debes si Parcarum meum ad te regnum, opus si non inuentione, & verborum magnificentia illustre & splendidum, fortasse ab eruditione humana non alienum, cuius nuper lectione perbreui mira profundebaris voluptate, ad te postea perlatum non est. Verum tu, cuius ingenium felicissime in cunctis versatur, cuius authoritas supra quam humana, cuius scripta non nisi candidissima esse possunt, ita debes de te, tuisque omnibus scriptis cogitare, vt penes te esse non possint, & te circumsistere mille fures, quibus si diem dicas, iam reliqua tua negotia submouebis, te in tuendo vno totos consumpturus dies. Vale nec bene factum accusa

AD DN. MEVM D. FELInum, idem Michaël.

QVæque Solon, & quæ Cæsar sanxere periti,
Et quæ Pontifices, iura, Feline tenes.
Quæ cecinit Clio totum vel gesta per orbem,
Et quæ confinxit quisque Poëta, tenes.
Dic age, num vna est, an plures in corpore quæ
In cunctis foueat, condita, dic, anima? (te
Vnus homo es, quæ tanta fuit concordia diuis,
Multorum spires vnus vt ingenium?
Cur ego non video, superest quæ sola laborum
Gloria, cardineo connumerere choro:
Et quæ non deerit virtuti, pulchra corona
Irradiet capiti denique fixa tuo?
Certe erit, & video. nam sunt in culmine cœli
Fata, ego quæ vates certa futura cano.

Carolus

CAtolus Dei gratia Francorum Rex vniuersis Christi fidelibus patentes literas inspecturis zelum Catholicæ fidei & salutem in Domino sempiternam, Considerantes attentius, & intra nostræ mentis arcana sæpenumero reuoluentes innumerabilia damna, & incōmoda cædes, & strages, ac nobilium ciuitatum, & fidelium populorum desolationes, & deuastationes, ac plurima alia horrendissima facinora, quæ spurcissimi Turci sanguinem Christianum incessanter debacchantes à quinquaginta annis citra, vt à maioribus nostris profecto fide dignis viris didicimus, inhumanissime perpetrarunt: cupientesque more progenitorum nostrorum, Francorum Regum Christianissimorum, tantis sceleribus, quæ ipsi perfidissimi Turci religioni Christianæ continuè minantur, pro viribus occurrere, ac eorum sitibundam rabiem totis conatibus reprimere, postquam placuit altissimo in regno ac dominiis nostris suam pacem ponere, & illa tranquillitate potiri: proposuimus pro repellendo Turcorum eorum furore rabido, & recuperandis terra sancta & aliis dominiis per eos Christianis Principibus, & populis ablatis, propriis, persona ac laboribus, facultatibusq; non parcere. Quin imo dilectissimis vxore, ac vnico filio nostris, regnoque amplissimo, pacifico, & opulentissimo etiam præter voluntatem Principum & procerum regni nostri relictis, statuimus


cum adiutorio Dei, cuius causam amplectimur, ac summi omnium Christianorum Pontificis, & pastoris, nec non Principũ, & aliorum Christi fidelium præsidio, hoc sanctissimum opus fideli deuotione, & magno animo aggredi. Quod quidem sanctum propositum diuina credimus inspiratione nostro cordi fuisse infixum: nec arbitretur quispiam vt ad occupandum quorumcunque Principum vel populorum dominia, aut ciuitates opus hoc tam sanctum, tamque laudabile aggrediamur, sed vt ipse Deus ineffabilis verus testis est, hoc solum ad eius laudem & gloriam suæque fidei & Christianæ Relligionis exaltationẽ, & ampliationẽ amplectimur, sperantes in ipso Deo, à quo omnia perfecta opera perfectionẽ suscipiunt, nos hoc sanctum desiderium nostrum ad optatũ effectum perducturos. Sed quod regnum Siciliæ, quod Neapolitanum appellatur, sæpius per progenitores nostros à manibus infidelium, & aliorum Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ sedis hostium ereptum, & eidem Ecclesiæ restitutum fuit, & de quo ipsi progenitores nostri viginti quatuor inuestituras videlicet XXII. à diuersis Romanis Pontificibus, & duas alias à duobus sacris generalibus conciliis receperunt, & quod ad nos iure hæreditario pertinet. Quamuis Pius Papa II. volens suos ex humili plebe natos, ad Principatus fastigium extollere, regnum ipsum nostris contra iustitiam abstulerit, & illud quondam Ferdinando de Aragonia concesserit, ad oppugnandum dictos perfidissimos Turcos præcipue per

por-

portum Valonæ, & nonnulla alia loca nobis facile ingressum præbere poterit, illud Deo auxiliante intendimus recuperare, vt nobis & nostris facilis ingressus & egressus, ac tutum præsidium esse possit. Nec intendimus propterea almæ vrbi Romæ, prout modernus Alfonsus de Aragonia, & sui prædecessores alius Alfonsus, & Ferdinandus magna temeritate, & rebellione eam obsidendo fecerunt, aut aliis terris Romanæ Ecclesiæ præiudicium aliquod seu damnum inferre, sed illam & ipsius Ecclesiæ subditos pro illius, & Apostolicæ sedis honore & reuerentia ab omni damno & iniuria pro posse nostro illæsos conseruare, more dictorum progenitorum nostrorum, quantum cum Deo poterimus potius adaugere. Quia vero pro dicto regno recuperando & nostro sancto proposito exsequendo, pro faciliori & breuiori via ad vrbem prædictam veniendo, per nonnullas terras dictæ Ecclesiæ transitus sit nobis faciendus, Sanctissimum in Christo patrem & dominum, dominum Alexandrum diuina prouidentia Papam Sextum, ac Sacrosanctum Romanæ Ecclesiæ Collegium, nec non quarumcunque ciuitatum, oppidorum, terrarum & locorum eiusdem Romanæ Ecclesiæ rectores, gubernatores, potestates, officiales, ciues, incolas & habitatores quoscunque in Domino requirimus, & hortamur, & obtestamur saltem, quemadmodum hostibus nostris, & in hoc sacro proposito nobis aduersantibus fauores & auxilia, quæ potuerunt, præstiterunt, & præstant, ita nobis & nostris li-

berum ingressum, & egressum per ciuitates, oppida, terras & loca prædicta, ac victualia necessaria nostris sumptibus, & expensis exhibere dignentur: nisi enim nos in hoc saluberrimo opere impediuissent, credimus iam vrbem Neapolim & magnam regni partem expugnasse, & in principio veris proxime futuri fines hostium ingredi potuisse. Si vero ingressus & egressus ac liber transitus, & victualia nobis & nostris soluendo debita pretia fuerint, quod non credimus denegata, nihilominus conabimur totis viribus meatū inuenire, & capere, & victualia necessaria, quibus poterimus mediis, protestātes solenniter de nobis, ad culpam non debere imputari, sed potius illis, qui perfida iniquitate de fide nostra non recte sapientes, nostrum pium, & sanctum propositum voluerint impedire. Protestamur insuper de iniuriis Deo & nobis faciendis, damnis quoque, & interesse per nos propterea iam incursis, & si quæ in futurum incursuri fuerimus. Quas protestationes prosequemur coram vniuersali Ecclesia, ac Principibus totius Christianitatis, quos conuocare intendimus pro hac sanctissima expeditione, Deo Duce feliciter adimplenda. In quorum omnium fidem patentes literas fieri, & per notarium publicum subscribi & publicari, nostriq; Regalis sigilli appensione muniri fecimus. Datum Florentiæ die 22. mensis Nouembris Anno Domini MCCCCXCIV. & regni nostri XII.

F I N I S.



PARALLELA ALFONSINA:

Siue,

APOPHTHEGMATA CÆSARVM, PRINCIPVMQVE GERMANORVM ET

aliorum; Alfonsi, Aragonum Regis dictis & factis memorabilibus, per Antonium Panormitam descriptis, sigillatim comparata.

AVCTORE,

ÆNEA SYLVIO PICCOLOMINÆO, *Episcopo Senensi, qui postea Papa Pius II. dictus.*

OMNIA NVNC PRIMVM ET CORrectiora, & παραλλήλως composita.



HANOVIÆ,

Typis Wechelianis apud heredes Ioannis Aubrij.

Anno M. D. CXI.

ANTONII PANORMITÆ, POETÆ, DE DICTIS ET FACTIS Alphonsi Regis memorabilibus, LIBRI IV.

Cum Commentario Aeneæ, Episcopi Senensis, in eosdem.

PRÆFATIO.

Æneas, Episcopus Senensis, Antonio Panormitæ, poetæ clarissimo, S. P. D.

SYLVESTER Chimensis antistes, cuius consilio in suam me curiam Fridericus Imperator accersiuit, dictatas à me literas cum aliquando examinandas accepisset, remitteretque plerumque maculatas magis quàm emendatas, interrogatus cur aptissimo verbo remoto reddidisset ineptum: *Atqui non vidisse me*, inquit, *scripta tua suspectare poteras, si nihil immutatum reperisses*. Idem mihi in Alphonso tuo faciundum fuit, Antoni oratorum &


poetarum limatissime. Nam quæ de rege maximo & optimo olim scripseras, vt legerem corrigeremque iussisti. Legere potui, quod feci; corrigere vero non potui. Nam quid est quod manu tua emissum correctione indigeat? Vulgo dicitur, nihil dictum esse quod nequeat dici melius. At hoc in rebus tuis falsum Virgilianũ carmen, quàm dicteria tua corrigi promptius fuerit. Legimus aliquando Socraticum Xenophontem, nescimus qua eloquentia homo Græcus eluceat: ignoramus enim damno nostro Græcas literas. De Latinis si quod est iudicium nostrum, neque ille translatus se Antonio, neque Socratem Alphonso parem facit. Nam & tu Xenophontem hunc eloquentia superas, & Alphonsus sapientia Socratem antecedit. Quid plura? Apophthegmata Plutarchi Philelphus in Latinũ vertit. Dicta illic factaq; memoratu digna breuiter comprehensa sunt illustrium virorum, quos non Oriens modo, sed Græcia simul & Roma protulit. Maiora tamen & illustriora de vno Alphonso tuus liber explicat. Felix tu igitur, cui tantus princeps scribendus occurrit: felix Alphonsus, qui te ad consecranda eius gesta idoneũ offendit. Nam neque tibi materiam vberiorem inuenire, neque illi scriptorem elegantiorem obtingere facile fuerat. Verum ego vt eò redeam, vnde digressus sum, Siluestri tenebo morem, anota-

notabo pleraque, non tanquam mutanda ſint, vel quod meum iudicium anteponam tuo, ſed vt me librum vidiſſe ac legiſſe intelligas: quod tunc verum maxime iudicabis, cum per ſingula capita tui operis aliquid me videris eſſe commentum.

Vale.

ADMONITIO AD LECTOREM.

Quæ maioribus typis excuſa videbis, candide lector, ea Antonii Panormitæ; quæ verò minoribus, Æneæ Syluii eſſe ſcito. Quod te monere, haud inconſultum iudicaui. Vale, & hiſce fruere.



ANTONII PANORMITÆ DE DICTIS ET FACTIS ALPHONSI REGIS ARAGONVM, LIBER I.

PROOEMIVM.



Enophon is, quem Græci non abs re *Musam Atticam* vocant, dictorum & factorum Socratis commentarios edidit, quicquid à sapientissimo viro diceretur efficeretúrve memoria ac celebratione dignum existimans. Cuius ego consilium vsque adeò laudo proboque, vt mihi semper excellentissimorum hominum vestigia atramento & calamo obseruari debere visum sit: nec quicquam eorum quæ dicerent aut facerent, frustra elabi permittere. Nostris quidem temporibus etsi non contigit virum videre, vt quondam oraculo Apollinis sapientissimum iudicatum, certe contigit Alphonsum intueri, qui sine controuersia regum principumque omnium, quos nostra ætas tulerit, & sapientissimus & fortissimus haberetur. Cuius dicta aut facta tanto chariora esse debebunt, & memoria digna maiore, quanto pauciores vel omnibus seculis reges inuenti sunt ingenio sapientiaq; præstantes. Nam philosophi quiq; doctrinam aliquam profitentur, studiis tantúmodo suis intenti aliena omnia contemnentes, haud mirum videri debet, si singulis ætatibus plures & docti & sapientes euadũt. Reges vero ac terrarũ principes rempublicam domi militiæq; gerentes, plerumq; assentatoribus circumsessos, atq; iis qui ad voluptatum potius exercitia admoneant, quàm docti inę, firmos & constantes si in-


inuehias,neq; à ſtudiis bonarum artium abhorrentes,non tu hos ſupra modum admiraberis & in cœlum vſq; laudibus vehes? Recte mediusfidius maiores noſtri,illi quidẽ vetuſtiores,ſi regem aliquem inter voluptates moderatũ, inter adulatores firmũ, inter vana pleraq; principum exercitia doctrinæ ſtudia haud obmittentem animaduerterent,inter Deos protinus referre conſueuere,quorum nomina ad noſtram vſq; memoriam,& dies, & menſes,& ſydera in Deos conſcripta teſtantur ac celebrant.Itaq; nobis nec dicta nec facta literis merito tradenda deſunt: quinimo talia ſeſe offerunt, vt neq; de philoſopho, neq; de rege fere vllo vnquam grauiora vel iucundiora vel legeris vel audieris.Sed Xenophon plane ipſe nobis deeſt,qui ſua illa ſuauiloquentia Alphonſi regis præclara facinora monumentis atq; immortalitati mandaret. Ego namq; (vt ingenue fatear imbecillitatem meam) ſat ſcio me nequaquã tanti viri laudes pro dignitate conſequi poſſe. Maiores aliquanto ſunt,quàm vt mediocriter docti hominis vires patiantur. Sed quid? Ero ne ingratus in ſeculum noſtrum, aut in hunc, qui ſeculum noſtrum gloria exornat? Sane ſi in altero de duobus percunctandum ſit, præſtabit vtique indocti quàm ingrati nomen inducere. Alios ſaltem præclaro & immortali ingenio viros ad honeſtiſſimum hoc certamen excitabo,quodque tubicinis officium eſt, haud equidem facere erubeſcam, *Ære ciêre viros Martemque accendere cantu.*

ÆNEAS SYLVIVS, IN PROOEMIVM PRIMI LIBRI.

ALphonſus tanto eſt Socrate maior, quanto grauior Romanus homo quàm Græcus putatur. Et quanto difficilius eſt reges, quàm priuatos homines philoſophari.

ALPHONSI REGIS
DICTORVM ET FACTORVM
LIBER PRIMVS.

Caput I.
Fortiter.



RABANT, & quidem suppliciter Ioannæ Neapolitanorum reginæ oratores Alphonsum, vt destitutæ omni ope reginæ auxilium ferret. Iis refragabantur ferè omnes Regis consiliarii, durum & perquam anceps fore bellum dictitantes, apud genus hominum armis exercitatum, industria atque opibus pollens potensque, & præsertim apud mulierem ingenio mobili & inconstanti. Tum Rex; *Accepimus*, inquit, *Herculem etiam non rogatum laborantibus subuenire consuesse. Nos reginæ, nos fœminæ, nos afflictæ, nos demum tantopere roganti opem ferre dubitabimus? Graue quippe bellum susceptum esse fateor, verum eo præclarius futurum. Sine labore & periculo nemo adhuc gloriam consecutus est.*

1 Hunc nouum Herculem sibi auxilio esse, & Senenses orant, quibus tanto iustius fuerit opem ferre, quanto indignius opprimuntur. Quod si Rex solitus est laborantibus etiam cum periculo subuenire, Senenses certe non deseret, quos vel solo verbo reddere tutos & quietos potest.

II.
Iuste.

Illud grauiter & iuste dictum in equitem quendam prodigum vel in primis recenseamus. Quibusdam à Rege magnopere petentibus ne saltem in corpus lueret debita, quæ ille plurima per luxum libidinemque contraxerat: Respondisse aiunt, *equitem hunc neque sui regis gratia, neque patriæ commodo, neque propinquorum & amicorum ære alieno suscepto tam grande patrimonium profudisse; quinimo substantiam suam omnem corpori indulsisse: In corpus igitur luere æquum esse.*

2 In Anglia (quæ quondam Britannia dicta est) qui extra matrimonium mulieribus commiscentur, deprehensi, sacerdotis imperio die festo in processu cleri ac populi adesse iubentur, & retentis femoralibus nudi ecclesiam circuire, ardentem cereum manu gestantes. Si quem pœnæ pudet, is auro noxam redimit. Mannus quidam Florentinus, qui sæpe data pecunia effugisset pœnam, rursus deprehensus subire, quam dare argentum statuit. Die dicta, ad ecclesiam longo pallio contectus venit, quo in media turba virorum fœminarumque deposito, omni ex parte nudus remansit. Ac indignante sacerdote, & femoralia vt resumeret iubente, *Minime* inquit, *gentium: Nam pudenda hæc quæ peccauerunt, ea potissimum dare pœnas decet.*

Cum

Cum Lucas medicus vir disertissimus orationem apud Regem habuisset, eumque exquisitis & heroicis laudibus extulisset, ferunt finita oratione regem dixisse, *Si vera sunt, Luca, quæ de me prædicas, Deo optimo maximo gratias ago: Sin aliter, vera vt istæc faciat oro atque obsecro.* III. *Modeste. Reges decet se præbere laudibus dignos.*

3 Baltasar Cossa, qui pontificatum adeptus maximum, Iohannes XXIII. dictus est, sæpenumero supra modum laudatus, inquit; *Quamuis ementita esse scio, quæ de me præclare dicuntur, iis tamen vocibus me oblecto.*

Nauigabamus ex Sicilia in triremi cum ipso Rege nonnulli, quos singulatim ille comites delegerat, quibus mos erat mane Regem in puppi officii causa salutare, & offendimus eum aliquando demirantem garrias aues triremem circumuolantes, attentasque si quis bolus triremi decideret, certatim illum arripere, quæque arripuisset celeriter illam aufugere. Hæc contemplans Rex mox conuersus ad nos ait, *persimiles sunt his garriis purpurati & curiales aliquot mei: simulac enim aliquod officium aut beneficium dimicantes inuicem à me acceperint, profugiunt.* IV. *Prudenter.*

4 Sapiunt mea quidem sententia, qui accepto aliquo beneficio vel mediocri, curiæ valedicunt. Ostendunt enim animum suum expletum esse, & periculo sese subtrahunt; quod in curiales frequenter accidit, qui veluti sues, vbi saginati sunt, in cœnam Domini mactantur. Cæterum qui opes adepti magnas, apud Reges perseuerant, non quidem id agunt vt gratias referant, sed vel tutò abire nequeunt, vel sis nihil satis esse præseferunt.

Hispanos vero quingentis atque eo amplius annis à studiis humanitatis vsque adeò abhorrentes, vt qui literis operam impenderent, ignominia propemodum notarentur, ad literarum cultum sic reuocauit, vt rudes propeque efferatos homines doctrina quodam modo reformauerit. V. *Sapienter.*

5 Si Gothis ac Longobardis tales Reges fuissent, neque mutilatum Liuium, neque aliorum detrimenta auctorum deploraremus.

Cum audisset vnum aliquem ex Hispaniæ regibus solitum dicere, non decere generosum & nobilem virum esse literatum, exclamasse fertur, *Vocem hanc non regis, sed bouis esse.* VI. *Facete. Grauiter.*

6 Cum Alphonsum ego ex Baiis Puteolos vsque sequerer, essetque illi ad me sermo de literis; Ait se legisse librum Augustini de ciuitate Dei, ex Latino sermone in Gallicam linguam translatum, in cuius procœmio scriptum esset: *Regem illiteratum, nihil aliud nisi asinum coronatum esse.* Atque ita sibi videri affirmauit.

Erat Alphonsus in agro Matriciensi, necdum satis deliberauerat, vtrum Franciscum Sphortiam an Nicolaum Picininum in amicitiam & societatem admissurus esset, & erat alterum duntaxat propter illorum inter se simultates admissurus. Cũ interim Matricienses legati Regẽ adeuntes petierunt, vt ex ipsius volũtate Nicolaóne an Fran- VII.

cisco gratificari deberent. Quibus Regem respondisse qui aderant

Prudenter. perhibent, *Vtrosque tanquam amicos habendos esse, sed ab vtrisque tanquam inimicis cauendum.*

7 Pari (vt mihi videtur) prudentia erga Iacobum Picinini filium Alphonsus vtitur; cui vt amico subuenit, ab eo tamen vt hoste cauet.

VIII. *Facete.* Harpyias legebamus insulas incoli consuetas, cumque insularis quispiam id ægrè ferret, dixisse scimus Alphonsum, *Non est quod frontem obducas, ô amice. Ex insulis enim in curiam Romanam commigrasse Harpyias compertum est, ibique iam domicilium constituisse.*

8 Harpyas arbitror fuisse quam plurimas. Nam curiam ego adhuc nullam hisce auibus vacuam vidi.

IX. *Fortiter & constanter.* Bellum Neapolitanum semel ingenti atque inuicto animo cum suscepisset, nulla postea vi, nullo periculo, nulla clade, nullis denique difficultatibus auerti aut deterreri potuit ab incepto: quinimo à fortuna nonnunquam proiectum, vel in hostium potestatem perductũ, surrexisse vidimus, multoque acrius quàm ante constitisse, incredibilique pertinacia bellum omnium ferè difficillimum, post secundum demum & vicesimum annum confecisse, mortalesque omnes exemplo suo admonuisse, fortunam ferendo superari posse.

9 Cœptis quæ quidem iusta sunt, decet Regem inuictum adhibere animum, ac fortunam ferendo vincere. At vbi conatus iniquus est, præstat vinci quàm vincere.

X. *Fortiter & studiose.* Cum adhuc grauiter ex febre Rex iaceret, & Aurispa senior doctus vir ad eũ visitandi gratia accederet, subitò fores aperiri iussit, & in cubiculum penitus admitti: inibi illũ multa cum eo de studiis literarũ, multa de erroribus Hieronymi hæretici mirum in modum disseruisse tradunt, quamuis morbo vehementer implicatum.

10 Hieronymum hæreticum, de quo senior Aurispa cum Rege disputat, intelligo Bohemum fuisse, qui Constantiæ crematus est, cum impie de religione sentiret. Adde igitur (si placet) Hieronymi patriam, vt quod nos scimus, posteros haud lateat. *A. 1416. vide Pogg. epist. 3.*

XI. *Patienter & Modeste.* Cum poculum quo Rex ipse biberat, Caspari generoso adulescentulo dari iuberet, & Pirretus pincerna Casparis inimicus, quãuis semel bis & tertiò iussus dare renueret, permotũ Regem surrexisse aiunt, pugionemque strinxisse, ac fugientem Pirretum adsecutum, ne iam prehensum iratus feriret, pugionem in media ira abiecisse.

11 Wenceslaus Rex Bohemiæ, Sigismundi frater, Caroli IV. Romanorum Imperatoris filius & hæres, ministri offensus verbo è mensa consurgens, arrepto pugione amicum interfecit. Alexander Macedo correpto telo in Clytum, per mortem charissimi hominis iræ suæ satisfecit, sibi se non satisfecisse pœnitentia facti docuit. Melior itaq. Alphonsus vtroq;, qui primo iracundiæ motui, vt homo, succubuit: sed in secundũ, vt rationalis homo peruicit, ac paruulos suos (vt ait ille) illisit ad petram.

Capuam

Capuam verò cum exercitu transeunti Alphonso, miles quidam ira efferuescens in foro ipso obuiam factus, comprehensis equi loris Regem sistere coëgit, neque prius dimisit, quàm quæ libuisset in Regem etiam armatum petulanter effudisset: Rex nihilo magis animo commotus, ire perrexit; conuiciatorem ne paululum quidem conspicatus. *XII. Patienter.*

12 Sigismundus Imperator conuicianti Boioratio, creditori colaphum incussit, mox pœnitentia ductus, debitum omne persoluit. Modestior Rex quàm Imperator, sed fortasse non tam huic equiti Regis modestia, quàm Baioario Cæsaris ira salutaris fuit.

Cum inter cœnandum à difficili & importuno quodam sene vsque adeo interpellaretur, vt vix edendi potestas esset, subclamasse dicitur, *Asinorum conditionem longe meliorem quàm Regum; illis quidem comedentibus dominos parcere, regibus neminem.* *XIII. Facetè.*

13 Si sine literis esset Alphonsus, liceret cœnanti sibi, vt asino coronato, quietem expetere. At docti Regis nullam vitæ partem quietam esse fas est, nisi quam sibi somnus vendicat.

Cum Puteolos obsideret Rex, atque animi laxandi causa litus quotidie peteret, reperit viri Genuensis cadauer è triremi hostium eiectum, litori appulsum: quo viso, celeriter equo desiliit, iisque qui propè aderant omnibus desilire iussis, aliis negocium dat, vt terram effodiant, aliis vt nudum corpus obuoluant: Ipse vero crucem ligneam sua manu fabricatus humati ipsius capiti afflixit. *XIV. Piè.*

14 Quid faciat in suos Alphonsus, cum etiam in hostes pius sit.

Caietam vrbem pertinaciter obsidente Alphonso, coacti sunt oppidani ob famem, qua maximè vrgebantur, pueros, puellas, & ætatem omnem bello inutilem è ciuitate expellere. Eiecti igitur paululumque progressi, necessariò substitêre, nam & redire à suis ferro saxisque prohibebantur, & ingredi regia castra nondum facultas erat. Erat interim cernere miserabilem illā multitudinem, ad suorum simul & hostium ictus expositā, Parentum pariter & natorū complorationes, tum Regis tum suorum fidem ac misericordiam inclamantium. Interea exagitari, impelli, vulnerari, confici: cum Rex ab iis abstinere sese milites suos iussit, patrumque concilium aduocari. Censuerunt fere omnes, *Haudquaquam excipiendos esse. Si ferro aut fame interierint, suorum ciuium noxam, non Regis aut regiorum esse.* Ego quoque (vt errorem meum ingenuè fatear) sententiam rogatus dixi, *Lege militari recipiendos non esse.* Quippe quæ obsessis ac fame laborantibus præcipit, vti bello inutiles eiiciant. Contrà vero qui obsident, eiectos omnino ne admittant, sed reiiciant potius. Conuersi eramus omnes in Regem, deliberationem eius auidissimè expectantes. Tum ille, *At* *XV. Misericorditer.*

ego malo, inquit, *Caieta & Caietanis nunquam potiri, quàm tam fœdè tamque crudeliter vincere: cum viris mihi dimicatio est, non cum mulieribus ac pueris.* O Regem immortalitate dignissimum, quique vniuersum genus humanum gubernet & regat: victoriam quæ impia & luctuosa esset, nullam iudicauit. Igitur omnem sexum atque ætatem imbellem excipi iussit, exceptos omnes abundè refici atque refocillari.

15 Misericordem Regem vnum vel hoc factum Deo optimo & maximo proximum facit. Verum cum victoriam Rex abhorreat, fœditate & crudelitate partam existimandum est. Neque iis cum auxilio esse, qui bella per omne nephas gerunt.

XVI. **Studiosè.** Lectioni T. Liuii, qua vel maxime Rex demulcebatur, cum aliquando tubicines obstreperent, abigi eos (quamuis Musicæ peritissimos) iussit: iam velut multo suauiorem, quàm ipsorum harmoniam auditurus.

16 Cum Neapolim in arce noua de pace Tusciæ, deque mittendo in Albaniam Picinino per hos dies ageremus, studiosum T. Liuii regem animaduertimus, quem sæpe testem citauit, dum cauendum esse diceret, ne primam belli fortunam aduersam experiremur. Nam præsagium finis ex initio concipi solitum, autore Liuio attestabatur.

XVII. *Modestè. Facetè.* ** Plin. c. 7. lib. 33.* Parantem vero Regem triumphalem currum inscendere, non defuerunt qui admonerent vt triumphantium more vultum minio illiniret. * Quibus respondisse fertur: *minium Baccho soli conuenire, qui non solum triumphi, sed vini etiam repertor extitisset.*

17 Sigismundi Cæsaris prouerbium fuit, *Ignarum esse regnandi, qui simulare nesciret.* Vera ratio, nec vultum nec animum mendacio obtegentem regem probat.

XVIII. **Liberaliter.** Virginibus vero omnibus Christi Dei verissimi sacris initiari cupientibus, dotem sine qua haud recipi mos est, Regem elargitum constat. Cumque essent ferè innumeræ, quæ dotis spe proposita mundo renuntiarent, sacrasque nuptias adirent; nunquam tamen à tam liberali & religioso proposito destitisse. Imò vero quanto plures sese quotidie ad sacerdotium offerrent, eò libentius atque benignius omnes excipere atque dotare consuesse.

18 Simili liberalitate vsum Regem accepimus in pauperes presbyteros, qui diuinam rem primum faciunt.

XIX. **Grauiter.** Amico & familiari cuidam Regi suadenti, vt tranquillè & voluptuosè, dum posset, vitam ageret, nec corpus tot tantisque periculis obiectaret, respondisse dicitur; *Non temere à Romanis, illis quidem sapientioribus, Honoris templo Virtutis templum coniunctum, in quod nisi per virtutis templum introire liceret nemini, vt intelligerent mortales ad honoris fastigium non voluptatum via (qua delitiis atque illecebris affluens esset) sed virtutis illa quidem aspera & salebrosa enitendum esse.*

19 Fride-

19 Friderico Celeiæ comiti, qui ob amorem concubinæ vxorem interfecit, atque deinde inter scorta vitam turpissimam agens abhinc anno proximo vita decessit, vnus ait ex amicissimis, *Annum iam supra nonagesimum agis, nec minus voluptati seruis, quàm si sis adolescens. Age iam demum moriturum te scito, atque de sepulchro cogita.* Cui Fridericus, *Istuc,* inquit, *ago. Nam sepulchrali marmori hoc epigramma insculpendum statui: Hæc mihi porta est ad inferos. Quid illic reperiam nescio. Scio quæ reliqui, abundaui bonis omnibus, ex quibus nihil fero mecum, nec quod bibi atq; edi, quodque inexhausta voluptas exhausit.* Tum amicus, *Sardanapali epitaphium,* inquit, *memoras, quod (Aristotele teste) non hominis, sed bouis sepulchro inscribendum fuit.*

Veneris autem quadam die pro tribunali sedentem Alphonsum vidimus, pauperibus tantummodo ius dicentem. Cur ita? vt tantæ maiestatis præsentia (quam pauperrimo cuique adire facile liceret) abstineant potentiores ab tenuiorum iniuriis & offensis, ac ius suum cuique & habere & possidere fas sit. XX. *Iuste.*

20 Ex ducibus transalpinis vnum nouimus, qui singulis diebus venientibus facile præberet aditum, non quidem iuris dicendi aut administrandæ iustitiæ cupiditate; sed vt munuscula ipse tolleret, quæ ad curiales ferebantur. Nec tres duósve nummos, quos vocant Bohemicales, è manu pauperis auferre verebatur.

Cum amœnissimum Picentiæ agrum Surrentinum peruastaret Alphonsus, ingemuisse frequenter visus est; crebroque per caduceatorem oppidanos orasse, ne id ipsorum pertinacia cōmitterent, quod postea eius lenitate ac misericordia corrigi non posset. XXI. *Iuste & humaniter.*

21 Hetruria nec agrorum amœnitate nec virtute virorum Picentiæ agro cedit. Ea nunc vastatur, non gemitu Regis egemus, sed voluntate, quam dicis eum in Surrentinos habuisse, cum pacis & belli potens sit.

Cum senex quidam & natura & ætate audacior ex senatorum numero Regem argueret, quod contra patrum fere omnium sententiam bellum capesseret, magnificè locutum ferunt; *Regum consiliarios aut reges esse, aut regum animos habere oportere: plurima interdum consiliariis & priuatis conuenire, quæ regem non decerent: pecuniam capere Parmenioni licuisse, Alexandro non licuisse. Ignobilem profectò & obscurum nociturum regi, qui non suo ipsius, sed alieno duceretur arbitrio.* XXII. *Sapienter & fortiter.*

22 Aut noscere per sese regem omnia optauerim, qualis Alphonsus est: aut adeò dementem esse, vt catena constrictus consiliariorum arbitrio regatur.

Arcem regiam, quam nouam Neapolitani vocant, a fundamento Alphonsus restituit, & ita demum nouis operibus ampliauit, vt cum omni vetustate possit de magnificentia contendere. XXIII. *Magnifice.*

23 Fridericus Imperator Viennæ & in Noua ciuitate Austriæ arces magnificè instaurauit. At Sigismundus olim Budæ. Cæterum Alphonsus & noua (quæcunque viderim) opera, & vetusta supergressus est, neque Darii regiam Neapolitanæ arci comparandam fuisse putarim.

Scimus Alphonsum regem vestitu cultuque corporis mode- XXIV.

Modeste. Grauiter. ratè vsum, neque hac in re multum discrepasse à popularibus suis. Illudque sæpenumero vsurpare consuetum, *Cupere se, moribus & autoritate potius regem videri, quàm diademate aut purpura.*

24 Franci quibus Rex esset sola purpura & diademate conspicuus, illi crines totonderunt, & retruso in monasterium nebulone, autoritate Zachariæ Romani pontificis Pipinum substituerunt. quem non vestis aurea, sed spectata inter bonos moderatio & auctoritas regio culmine dignum fecerat.

XXV. Humaniter. Proficiscebamur aduersus Capuam. Cumque Rex itineris primus offendisset asinarium gementem implorantemque prætereuntium auxilium, propterea quòd asellus sibi prolapsus esset in luto farina oneratus, desilire equo, qui non longo admodum interuallo sequebamur, Regem vidimus, atque vnà cum rustico, illum à cauda, regem à pectore Asinum cœno hærentem subleuasse: appulsi nos regem extersimus. Asinarius verò qui regem prius non nouerat, pertrepidus veniam precabatur. Parui quidem momenti res, sed quæ nonnullos Campaniæ populos regi conciliauerit.

25 Adiutor asinario Rex factus, nonnullos Campaniæ populos sibi conciliauit. At si Senensibus opem tulerit, pacemque laboranti Tusciæ dederit, & illius prouinciæ, & vniuersarum Italiæ ciuitatum tutor & pater appellabitur.

XXVI. Piè. Misericorditer. Exceptis à Rege impuberibus, senibus, omnique sexu bellis haud quaquam vtili, quos Caietani obsessi ob penuriam annonæ ciuitate expulissent, quidam Regi dixit, *Si tu hos non admisisses, Caietani paucis post diebus sese dedidissent. At ego,* Rex respondit, *pluris facio eorum vitas, quàm Caietas centum.* Facinus profectò regium & memorabile, ac diis immortalibus in primis gratum acceptumque. Quam enim vrbem per id tempus quadraginta fermè millium conatu capere nequisset, postea soluta ac diu desita iam obsidione, sine vi, sine armis, numinis tamen benignitate & gratitudine in ditionem redegit.

26 Quos sæuitia & crudelitate territos subegeris, vt metuas semper necesse est: quos tua tibi pietas misericordiaque conciliauerit, perpetuò fidos inuenies.

XXVII. Facetè. f. Crispinus. Trisponius iurisconsultus, cum trecentos aureos Alphonseos quod supererat dotis, furto surreptos perdidisset, ac propterea animo angeretur, & esset sibi viua adhuc vxor, & illa quidem admodum informis, dixisse perhibetur Regem, *Longè illi melius, si vxorem quàm pecuniam fures abstulissent.*

27 Hugoni Senensi (quem nostra ætas Medicorum principem appellauit) vxor fuit nomine Ladia ex familia Sozinorum: in qua frequens virtus, forma rara. Hanc Hugo, quòd deformis esset, Ladiam Bonam vocitare solebat, atque omni patrimonio primari quàm coniuge maluisset. Itaque potest amari deformis, mala non potest. Crispini vxori fortasse nec morum suauitas, neque forma fuit.

XXVIII. Iuste. Fortiter. Cum esset iam contra Venetos ac Florentinos potentissimos Italiæ populos ab Alphonso haud quidem iniuria bellum susceptum,

ac

ac proptcrea Neapoli aduerſus eos magna animi fiducia contendiſſet; Florentini primum, mox Veneti oratores in agro Pelignenſium facti ſunt obuiam, pacem ab armato perhumiliter poſtulantes. Quibus Regem prompto ac læto animo pacem dediſſe conſtat, neque aliud vllum pacis datæ pretium exiſtimaſſe, quàm hoſtes genibus aduolutos ad ſe pacem petiuiſſe.

28 Armatus Rex iuſti belli cauſa, dum contra Florentinos Venetoſque exercitum ducit, occurrentibus in agro Pelignenſi hoſtium legatis, & ſe victos profitentibus pacem dedit. At Senenſes ante ſe ſuperatos fatentur, quàm Rex armetur, & obuoluti pedibus eius veniam petunt. Quippe tanto glorioſius his, quàm illis Rex ignouerit, quanto potentiores ſunt Veneti & Florentini quàm Senenſes. Nam illis videri poteſt idcirco pax reddita, quòd cœpti Regem pœniteret, tanquam magnas & opulentas ciuitates vincere deſperaret. Conceſſam Senenſi populo, nemo ex clementia regia non profectam addubitabit.

Cum regiorum plerique gloriæ ſtudio flagrantes permoleſtè ferrent, quòd Rex Venetis ac Florentinis pacem dediſſet, velut in eo bello magnificum ac glorioſum aliquod facinus edituri, à quo poſtea fruſtrati eſſent pace comparata; Rex id quod erat ſuſpicatus aliquando, iam nactus, dixiſſe perhibetur: *Bono animo eſtote commilitones. Nam & virtuti veſtræ (mihi credite) neque locus neque honos deerit, & mihi perquàm ſpecioſum fuit petentibus pacem dare. Ita arma capere conſueuimus, vt ſine cruore (ſi id modo fieri poteſt) victoriam adipiſcamur. Et quid aliud pacem tam ſubmiſſe petentes confitentur, quàm ſe victos eſſe.* XXIX. *Grauiter.*

29 Picinino quoque permoleſtum fortaſſe fuerit, Senenſibus pacem reddi, qui mitiſſimi populi damno, ſibi & opes & gloriam quærit. Sed nec virtuti eius ſi modeſtior fuerit & regis imperio ſeſe commiſerit, aut locus, aut honor deerit.

Affirmare ſolitum Regem accepimus, ſi nullum omnino aliud regnum, nullam prouinciam præter Calabriam aut haberet aut habiturus eſſet, illam protinus ſe relicturum, priuatumque & ciuem viuere potius velle, quàm illorum qui nihil hominis habent præter figuram ineptias tolerare, quamuis dominum aut regem. XXX. *Faceté.*

30 Regum primogenitis, qui reges futuri ſunt, non ab re huius regimen ducatus committitur. Nam cum Calabrorum ineptias experti fuerint, eaſque tolerare didicerint, aliorum populorum facile mores ferent.

Super lectionem Annæi Senecæ, quē præcipuè Rex coluit, atque perdidicit, quæſitum eſt ab Alphonſo Dauolo purpuratorum humaniſſimo, *Cur animus mortalium ita immenſus atque inſatiabilis foret.* Cui ab Alphonſo iis penè verbis ſatis eſt factum: *Animum hominis à Deo profectum non prius conquieſcere, quàm eò rediret, vnde profectus eſſet. Eſſe proculdubio animum noſtrum Dei & æternitatis capacem, propterea neque impleri neque ſatiari poſſe iis rebus, quæ fluxæ & incertæ eſ-* XXXI. *Sapienter.*

sent: sed Deum ipsum velut naturalem sedem & suum quodam modo perfectum bonum appetere, hoc est solidum & perfectum bonum.

31 Alphonsi quæstio recte soluta est. At poterit ne ille amplius quærere; *Si Deum ipsum velut naturalem sedem appetit animus, cur tam inuitus eò tendit, quò ire appetit, præsertim cum hoc bono in terris frui nequeamus.*

XXXII. *Facetè.* Cum legeremus aliquando Didonis Virgilianæ mortem, & inter legendum terra moueretur, atque ob id qui aderamus omnes improuisa & repentina re perculsos, Rex intueretur, *Nouumne,* inquit, *vobis videtur, si in morte tam celebris reginæ terra intremiscit.*

32 Apud Iulianum sancti Angeli Cardinalem, doctissimum atque integerrimum patrem, Flauianis supra Danubium (cui ciuitati nunc Vienna est nomen) cum cœnarem, fuissetque de Basiliensi concilio multus sermo, & inter cœnandum terram moueri intueremur, discumberetque simul Ioannes cognomento Amicus Agrippinensium legatus, qui diceret surgendum è mensa & in patentes campos abeundum: *Bono animo,* inquit Iulianus, *o amici estote, de synodo Basiliensi locuti sumus, quæ omnem Ecclesiam tremefecit, non tamen illisit.. Ita nec nos terræ motus iste consternauerit.*

XXXIII. *Grauiter.* Peroptare Regem audiuimus, vti popularium suorum vnusquisque rex extitisset, quo demum illi, vtpote experti, cognoscerent principum occupationes & curas. Hoc vno forsitan modo fieri posse, vt desinerent molesti & importuni esse.

33 Caspar Schlick, qui trium Cæsarum Cancellarius fuit, optare se dicebat, omnes Reges aliquando priuatos pauperesque fuisse: neque enim satis miseretur, qui nunquam fuit miser.

XXXIV. *Moderatè. Clementer.* Confecto iam graui ac diuturno bello, triumphoque Regi decreto atque parato, eum negasse aiunt, regulos & nationes, quas vicisset, currum præire debere captiuorum sorte; quinimo tanquam socios perquàm honorificè sequi iussisse. Sed & gloriari solitum accepimus, quòd non millibus hostium cæsis, sed rectius seruatis, triumphandi legem imperatoribus primus dedisset.

34 Gloria certè maior est seruati quàm cæsi hostis: tantoque triumphus illustrior, quantò plures relicti sunt de quibus triumphetur.

XXXV. *Magnificè. Religiosè.* Ludos autem Christianos magnificentissimo apparatu, deuotissima ac solenni repræsentatione, ingenti hominum frequentia ac celebritate quotannis edentem Alphonsum perspectauimus. Imò verò cum accepisset, Hetruscos istiusmodi ludos singulari industria cõmentos esse; ne hac saltem in re, quæ ad diuinum cultum pertineret, à quoquam mortalium vinceretur, omnia perscrutatum atq; exploratũ eò misisse. Explorata longè præclarius atque artificiosius expressisse.

35 Magnificentissimos eos fuisse ludos, ex Friderico Imperatore accepimus, qui eo præsente per sacram hebdomadem editi sunt, anno post Iubilæum altero. Nos autem ludos, quos Gallici personagia * vocant, mirificos, & nusquam similes Lausannæ vidimus, quæ ciuitas Lemano adiacet lacui.

* Comœdia.

Admo-

Admonuit modo Tuscia, vt animosi regis fiduciam, qua mortales omneis antecesserit, exprimamus Cosmus Florentinus Alphonso male pacatus, vir alioqui magnus & illustris, cum dono ei mitteret Liuii libros vtque praeclaros, reclamatum est à medicis qui aderant, *Ne per immortales Deos librum attrectaret, ab hoste missum veneni suspectum.* Rex prima facie visus est medicis assentiri, illis animo illudens. Nam cum Liuius in medio constitutus esset, illum manibus accepit, legit, euoluit. Subinde medicos qui continuè aduersarentur rogitans, vt desinerent ineptire: *Regum quidem animas non priuatorum libidini subiectas esse, sed sub Dei cura & tutela sacras latasque agere inquiens.* XXXVI. *Fidenter.*

36 Pharmacum securus Alexander accepit, paratum à Philippo medico, quem corruptum auro Persico scripserat Antipater. Vterque medicus, ille arte, hic familia, suspicionis periculum incidit.

Nonnullos de se bene meritos, sed ipsum probris clam solitos lacerare, rex cum audisset, *Regium esse*, inquit, *non solum benefacere, sed mala etiam patienter audire. Ingratos profecto nequaquam effecturos, quo minus ipse & humanus & beneficus perstaret.* XXXVII. *Patienter. Moderatè.*

37 In Fridericum Caesarem III. cùm nonnulli dicta probrosa iactassent, referentibus aulicis, *An nescitis*, inquit Fridericus, *Principes quasi signum ad sagittam expositos esse. Turres quidem fulgura praealtas feriunt, humilia tecta praetereunt. At nobis, cum bene agitur, si verbis tantum impetimur.*

Erat inter purpuratos aliquando orta quaestio, *Cur Hypocritae natura superbi essent, Publicani vero mansueti.* Et quum alii aliud (vt fit) sentirent, Regem demum ita diffinientem audiuimus, *Publicanorum vitia vt plurimum manifesta esse; puta luxuriam, gulam, illiberalitatem, & caetera eiusmodi; quae quoniam hominum oculis subiecta forent, soluerentur in ruborem, verecundiam & humilitatem: Hypocritarum vero vitia in occulto latere, vtpote odium, inuidiã, maleuolentiam, iniquitatem; quae cum in arcano tolerari diutius non possunt, erumpant in superbiam necesse est, iram item arrogantiam & insolentiam.* XXXVIII. *Sapienter.*

38 Hypocritarum vitam Friderico Caesari coram accusabat Caspar Schlickius, abiturumque sese aliquando in loca dicebat, quae hisce hominum monstris vacua essent. Cui Fridericus, *Vltra Sauromatas ergo*, inquit, *& glacialem Oceanum tibi eundum est. Sed cum eò veneris, non omnino carebis Hypocrisi locus, si modò & tu homo, non Deus es. Inter mortales enim nemo est, qui non ex aliqua parte fictus fucatusque sit.*

Scholas & auditoria, in quibus maxime Theologia publicè legeretur, magnificè adornari curauit. Nec adornari solum, sed interfuit ipse lectioni, non pallio & crepidulis inambulans in gymnasio, vt Scipio ille, sed attentissimo animo, & toto (vt aiunt) pectore incum- XXXIX. *Magnificè. Studiosè.*

bens: quodque & doctis imitandum, & ignauis rudibusque pudori sit, pedes, & si satis longè distaret auditorium, ad lectionem venire non dubitauit.

39 Sermonem habuit coram Alphonso in cœna Domini Antonius quidam Siculus ordinem diui Dominici professus, siue facto gloriabundus sese Regi obtulit, & quasi paruin ex pulpito ganniuisset, nouas de sacramento altaris quæstiunculas introduxit. Cui Rex, *obiecto*, inquit, *Rabbi. Vas aureum aperuit quispiam, in quo ante mensem eucharistiam condiderat: nihil ibi præter vermiculum reperit. Ex auro quod mundissimum purissimumque fuit, & vndique clausum, nō potuit vermis nasci, neque ex accidentibus, quæ illic absque subiecto aderant: Ergo ex Christi corpore productus vermis. At ex substantia Dei, quid aliud quàm Deus prodeat? Vermis igitur Deus. Quid tu ad hæc?* Obticuit Monachus. Nos qui eramus in corona, Theologicas ab Rege scholas haud frustra visitatas fuisse cognouimus.

XL. *Grauiter.* Cum Calaciam obsideret Alphonsus, omnium primus tormenta ænea inusitatę magnitudinis per asperum & accliuem montem pręter omnium opinionem muris admouit. Deinde me & Americum Sanseuerinum Capacii comitem virum illustrem legatos destinans, oppidanis renunciare iussit, nisi propere, ac prius etiam quàm tormenta laxari inciperent, deditionem fecisset, nullum postea eis relinqui pœnitentiæ locum. Accessi, persuasimus: cumque grati aliquid afferre putaremus, quòd Calacienses imperata fecissent, nostrum fuit potius, quæ Rex ipse tunc diceret, & audire & annotare. Erat in corona ducum atque procerum, Nicolai Picinini viri magnæ virtutis, partim videlicet animi magnitudinem, partim rei militaris peritiam, partim autoritatem, partim res præclarissimè gestas enarrantium: in quibus exortus est Picininomastix quidam, qui primum quòd genere obscurus foret, vtpote lanionis filius, eaque ipsa propalàm diceret. Tum Rex nebulonis illius impudentiam inique ferens, *Ego mediusfidius malo*, inquit, *Nicolaus esse macellarii filius, quàm aliquot regum, qui Europam incolunt, & filius & heres: gloriæ enim genus hauquaquam officere, quin potius præcipuam esse laudem existimo, vt possit se quisque (vt poeta dixit) tollere humo, victorque virûm volitare per ora.*

40 Nouitate gaudens Italia nihil habet stabile, nullum in ea vetus regnum, facile hîc ex seruis reges videas. Picininum lanionis filium, quasi regē nostra ætas venerata est. Des illi rei militaris peritiam: at inter homines, qui vel fugere vel capi, quàm mori malunt. Ioannem de Hunniad apud Vngaros, apud Albanos Scanderbechium, apud Bohemos Pogebratium; apud Teutones Albertum Marchionem Brandeburgensem meo iudicio belli duces egregios existimes, qui cum sæpe hostes vicerint, nunquam tamen incruentam victoriam reportarunt. At milites Italici mercatores videntur, vt equos & arma dederint, vt liberi euadant, nimirum mercatorum stipendia merentur. Regis tamen vera sententia est,

Malo pater tibi sit Thersites, dum modo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas,

Quàm

Quàm te Thersita similem producat Achilles.

At Sæpius Herculem ex macellario, quàm ex Hercule prognatum Picininum reperies.

Senex quidam male sobrius Regi obuiam factus, cum dixisset, *Lac senis vinum esse. Paruo igitur*, inquit, *tuum tibi constat alimentum*, paruo & video Bacchi lætitia. Verum hæc seni. Ad comites autem conuersus, *Regum*, inquit, *cibus est gloria, quàm nobis non pecunia, sed sudoribus Dii vendere consueuerunt.* XLI. Facetè. Grauiter.

41 Henricus Goriciæ comes carus militibus & optimatibus fuit. Is duos ex vxore Hungara nobili & prudenti fœmina filios suscepit, quos antequam pueritiam exuerent in thalamo suo apud se habuit, eosque inter dormiendum media nocte sæpius vocitare, & an sitirent interrogare solitus erat: quibus tacentibus (nam altus somnus eos oppresserat) surgens ipse vinum ingerebat, illisque recusantibus ac euomentibus vinum, conuersus ad vxorem, *Ex alio concepisti meretrix, neque enim filii mei sunt, qui noctem integram nil sitientes dormiunt.* Leonardus Felsechius nobilis eques, cum in Lipsensem ciuitatem peruenisset, in qua Saxones liberales artes ediscunt, percunctareturque, Sobrinus suus qui tum forte illic studii causa degebat, quidnam & quantum profecisset: Homo qui nosset eum & coauditor eius esset, *Optimè*, inquit, *se habet amicus tuus. Nam inter mille & quingentos qui adsumus scholares, hic vnus bibendi palmam obtinet.* Neq; ingrata sese homo nunciasse putauit. Est enim mos apud Saxones dum conueniunt, hos primo loco ponere, qui plus adbiberint, eumque ludum ad æquales haustus compotationem vocant. Huldricus de Noua domo, inter Bohemos proceres opibus & autoritate facile princeps, liberos suos quàm primum ablactatos nouit, ad vsum vini exercuit. Neque Australia, neque Bauarica quæ leuiora sunt: sed Cretensia, Tergestinaque, & quæ vocant Tramiuica his ministrari iussit. Interrogatus à Friderico Cæsare, qua ratione id ageret, *Assuefacti*, respondit illi, *liberi mei cum adoleuerint, amareque vina cœperint, securi adbiberint, quantum voluerint, neque vino capientur. Sapis* inquit Fridericus, *hoc ipsum Mitridates factitauit. At mihi si filius aliquando fuerit, nisi vinum oderit, eum ipsum oderim.* Cæterum si regum cibus gloria est, (vt Alphonsus ait) ea se gloria priuari non sinet, quam cōsecutus est Italia pacata: bellumque, si quod exoriri timor est, in Turcos vertet, illisque formidabilem sese ostendet.

In Calaciæ obsidione cum adhuc essemus, & esset de Viriato Lusitano inter Regem & me nō iniucunda dissensio, quod ego inter Viriati laudes maximè præferebam, quòd cibum vestitumque, quibus pastor aut venator vti consueuerat, nunquam postea deseruisset, licet imperator, & victor ille per continuos XIV. annos consules exercitusq; Romanos attriuisset; superuenit huic sermoni Simoninus Durrea purpuratorum princeps, præfectus castris. Cumque locum, qui inter Regem & me medius erat, equo inuectus capere instaret, Rex vultu renitens prohibuit, asserens locum illum, cum de literis aut cognitione antiquitatis ageretur, non purpuratorum, sed togatorum esse. Cessit ergo Simoninus. Rex verò ad Lusitanum suum reuersus, *Rectè*, inquit, *nonnulli virum hunc Hispanorum Romulum appellarunt:* XLII. Grauiter. Iustè.

recte item Romani eos, qui talem virum quamuis hostem interemissent, indignos præmio iudicarunt.

42 Viriatus non male *Hispanorum Romulus* appellatus est. Alphonsum vero eiusdem gentis Iulium, & si pacem Tusciæ redderet, *Italorum Augustum* non abs re vocauerimus.

XLIII. *Attentè. Studiosè.* Ægrotabat Rex Capuæ, & multi multa pro suo quisque ingenio, ac studio oblectamenta muneraque ægro Regi cum excogitarent, ego quoque à Caieta accersitus statim aduolaui, deferens & ipse mecum fomenta & medelas meas, hoc est libellos, quos ego intelligebam illi quàm maxime placituros, in quibus Curtium bonis (vt aiunt) auspiciis legendum exhibui. Ille res gestas Alexandri à disertissimo viro perscriptas, ea hilaritate, ea auiditate, ea denique felicitate cœpit audire, vt (quòd medici obstupescerent) eodem ipso die, quo legere cœperamus, ægra omni valetudine leuatus ac penè confirmatus euaserit. Itaque posthabitis cæteris omnibus animi laxamentis, singulis diebus ternas facere lectiones perreximus, breuique librum absoluimus. Ex quo eo die frequenter in medicos Rex iocatus, Auicennam velut parabolanum patuifacere, Curtium laudibus cumulare.

43 Haud mirum si lecto Curtio Rex ægra valetudine leuatus est. Nam dum legit apud illum Alexandri facinora, maiorem sese orbis domitorem cognoscit, qui neque iracundia neque vino vincitur, quibus Alexander ipse succubuit.

XLIV. *Studiosè. Facetè.* Cum inclytam illam arcem Neapolitanam instaurare instituisset, Vitruuii librum qui de architectura inscribitur, afferri ad se iussit. Allatus est (quandoquidem in promptu erat) Vitruuius meus ille quidem, sine ornatu aliquo, sine asseribus: quem Rex simul atque inspexit, non decere hunc potissimum librum, qui nos quomodo contegamur, tam belle doceat, detectum incedere, eumque mihi perquàm politè ac subitò cooperiri mandauit.

44 Detectum esse Vitruuium, qui quo pacto contegamur edocet, indignum Regi visum est. At nec Senenses intectos à Rege relinqui decet, qui detectos sibi hostes ostendere.

XLV. *Grauiter.* Scipionem irridere solitũ Regẽ accepimus, quòd saltatione animũ relaxaret; Saltatorem ab insano nihil differre inquientem, nisi quòd hic dum saltat, ille dum viuit, insanus est. Qua ex causa Gallos potissimum leues esse, qui quo magis ætate prouecti essent, eo magis saltatu, hoc est insania sese oblectarent.

45 Dicentem sæpenumero Fridericum audiuimus, *Malle se febri teneri, quàm saltationi operam dare.* At Galli vt quàm leuissimè saltent, vestium, quibus nec nates (turpe dictu visuque) obtegunt, vsum inuenere. Sequitur Hispania Gallicas ineptias, Italia verò damnat, detestatur, abhorret. Nam quid turpius, quàm ita vestitum esse hominem, vt quasi nudus pudenda quæque in propatulo habeat.

XLVI. *Attentè.* Iannotius Manettus Florentinorum legatus ad Regem prolixè,

nec

nec minus elegantem orationem habens, dum pronunciaret, attentionem patientiamque Regis apprimè miratus est, quòd ne oculos quidem à se diutissimè dicente minimum deflexisset, nec manus mouisset: sed & illud in primis memoria dignum iudicauit, quòd cum à principio statim orationis naso Regis musca supersedisset, non priusquàm peroratum esset, Rex illam abegisset. Ego quoque meis hisce adnotamentis huiusmodi factum propterea inferendum existimaui, quod Homerum * legeram inter prælia Deorum improbitatem Muscæ describere. * *Iliad.13.*

46 Dantem ferunt ad spectacula ductum, apud venditorē librorum, quòd ex eius taberna in forum prospectus esset, consedisse, librumq; cuius fuisset cupidus, inuenisse, quem tam auide attenteq; legerit, vt domum rediens iuramento firmauerit, nihil se vidisse, aut audisse ex iis quæ in foro dicta factáve essent. Verùm de musca quoniā mentio incidit, referendū est Gallici principis exemplum. Conuiuium illi cum optimatibus suis fuit apparatū in horto, æstate media, sub opaca vlmo, circùm quā prouolitantium muscarum agmina in dapes ac vina prouoluebantur. Conuiuæ, quibus animantis fœditas stomachum moueret, mox vt musca in poculum cecidit, vinum simul atque animal effudere. Ægrè id cernere princeps, iacturamque vini tacitus indignari: Nam queri palam inter magnos, qui aderant, proceres non est ausus. Sed quos arguere verbo veritus est, exemplo admonuit, puerum qui se coram flabello muscas abigebat, ventulumque faciebat, cessare paululum iubet. Interea & in craterem suum grandior musca incidit, tum lętus princeps duobus digitis dextram alitis alam apprehendit, & aliquandiu craterem supra excutiens, ne quid vini secum deferret, in terram proiecit. Exemplum conuiuæ omnes secuti. Noxium & importunum animal, Diis atque hominibus infestum, non mirum si Domitianus ille Cæsar tantopere insecutus est.

Allatum est à Caietanis quibusdam male literatis M. Tullii sepulchrum extare adhuc iuxta Formias in via Romana vetustis literis inscriptum. Quod Rex vt primum accepit, lætitia penè perditus, ire nihil cunctatus est, & sentibus rubisq; primo tumulū purgans, mox legere inceptans, non M. Tullii, sed M. Vitruuii epigramma esse comperit. Irrito itaque labore rediens ac vultum risu soluens, *Caietanos*, inquit, *ex Minerua oleum quidem accepisse, sed sapientiam amisisse.* *XLVII. Studiosè. Facetè.*

47 Neque M. Tullii, neque Vitruuii inhonoratum esse tumulum decuit, cum alter à morte homines tuendo, alter à pluuia scribendo protexit. Si modò is Vitruuius apud Formias sepultus est, qui de Architectura librum reliquit.

In oppugnatione Caietæ, cum aliquando defecissent ad tormenta ænea portentosę illius amplitudinis saxa, nec aliunde haberi facilius possent, quàm ex villa, quæ ab incolis inueterata opinione adhuc asseritur Ciceronis fuisse: vt aliunde disquirerent istiusmodi saxa, Rex iussit, sibi Ciceronis villam, si saperent, inuiolatam seruarent. Amplius malle se dixit, tormenta & machinas valere sinere, nullique vsui esse, quàm iniuria afficere virum, vel saltem saxa illius viri, qui tot tan- *XLVIII. Obseruanter.*

tosque homines ab iniuria, ac capitis periculo vindicasset patrocinio suo.

48 Pium Regem memoras, qui vel saxis Ciceronis pepercerit, qua ille reuerentia tanti viri ossa consectatus esset? Vtinam eius marmora, quæ triumphalis arcus habet, parem apud posteros pietatem inueniant. At ego illis timeo in arcis aditu collocatis: oppugnabitur aliquando locus, neque memoriæ magni regis, neque artificio nobili venia dabitur, quando affectum quemuis excludit dominandi cupido. Mallem sapientia Regis illic suam memoriam consecrasset, vbi solius vetustatis aut inuidiæ metum subiisset.

XLIX. Sapienter. Legebamus fortassis Annæi Senecæ epistolas, atq; aderat Franciscus Sachetus Florentinorum legatus, vir eloquentissimus, ac Ludouicus Cardona celebratissimi nominis Theologus, multique præterea docti & clari viri: quærebatur super præcepto Hecatonis tantopere à Seneca laudato: *Si vis amari, ama.* Nunquid in aliquo sub exceptione falleret, essetque videlicet, vt quis amaret nec mutuo tamen amaretur. Hic cum multi multa, fermeque omnes Hecatonis & Senecæ dictum probarent susciperentque, *Ego*, Rex inquit, *pace omnium dixerim, aliter sentio. Est mea quidem sententia, vt quis amet, nec vicissim redametur. Et quis aut certius aut flagrantius diligit, quàm qui homines fecit, atque hominum causa omnia fecit? Cúmque id ita esse nemo viuus ambigat, quis tamen est qui mutua charitate Deum complectatur? Imò vero quid mirabilius aut potius detestabilius est, cum aut hunc aut illum hominem amantibus nobis interdum in officio non respondeatur, Deum vero amantibus certissima sit illius charitas, nec charitas solum, sed amoris merces perpetua lux, & sempiterna tranquillitas, nihilominus obdurati persistimus, nec amantem redamamus, quod ego arbitror nobis euenire ob nullam aut certè exiguam in Deum fidem. Dum enim bonis hisce præsentibus atque voluptatibus delinimur & obcæcamur, cœlestia quæ non videntur, neque tanguntur, non modo non curamus, sed nec omnino futura confidimus: vt siquis admodum sitiens audiat aquam limpidam & puram procul esse, sed vicinam & propinquam potius bibat, licet turbidam & lutulentam. Præclarè igitur, quicunque dixerit, donum Dei fidem esse.*

49 Hecatonis præceptum, quod Seneca magnopere laudat, *Si vis amari, ama*, rectè Rex attestatus erga Deum non procedere, quem non omnes amant, qui amantur ab eo. Vtinam nec Senenses hoc dicto decipiantur, qui Regem Alphonsum vehementer amant atque obseruant.

L. Magnanimiter. Iustè. Gratè. Neapolitani ciues ob virtutem ac clementiam Alphonsi cum decreuissent vno consensu omnes, arcum illi triumphalem ad memoriam honorificè struere, elegerunt locum super gradus marmoreos maioris ecclesiæ. Id vero quandoquidem fieri non poterat, ne magna

ex

ex parte dirueretur Nicolai Mariæ Buzuti magnanimi & strenui militis domus, Rex fieri omnino prohibuit, *Haudtanti se facere*, inquiens, *huiuscemodi saxorum struem ventis imbribusque obnoxiã, vt amici veteris & familiaris domum, cuius opera in bellis & pace atque omni fortuna fortiter ac fideliter vsus fuerat, euerti pateretur*.

50 Amici regi non minus Senenses sunt, quàm Buxutus eques fuerit. Saluam ipsius domum Alphonsus voluit potius, quàm triumphalem sibi arcum apparari: salutem igitur Senensium anteponat Picinini triumpho.

Quæsiit fortasse aliquis, vbi Rex aderat; Cur qui vere saperet taciturnior esset, qui minus, loquacior? Et cum alius aliud in causam duceret, Regem tandem his penè verbis respondentem audiuimus. *Qui verè sapit, habet hic intus vnde gaudeat. Aliter quippe eius animus sapientia, qua maxime alimonia contentus requiescit. Ex diuerso qui minimè sapit, eius ipsius animus cum intus non habeat quicquam, vnde impleatur aut gaudeat, necessum est foris quærat, vnde vana saltem iactantia sapere videatur. Itaq; ille ad conscientiam omnia refert, hic ad ostentationem.* Hæc non inscite Rex cum dixisset, Tibulli poëtæ tersissimi versus * in medium prolati sunt, Regis (ni fallor) sententiam confirmantes, LI. Sapienter. * Lib. 4. in fin.

Procul absit gloria vulgi.
Qui sapit, in tacito gaudeat ipse sinu.

Rex versus exosculatus edidicit.

51 Agere quàm fari sapientis est. Nunquam nisi cum necesse est sapiens loquitur, neque vana nisi ponderata mensuratáve profert. Stulto nullum est tempus sermoni clausum, facileque verba iactitat, qui sine consideratione profatur.

Quadam die cum corpus Domini summi & seruatoris Dei Iesu pedibus sequeretur(sic enim Regi mos fuit, sanctissimam eucharistiam reuerentissimè, quocunque accederet, pedibus comitari) tandem ductus est in vetulæ cuiusdam pauperrimæ domum sanguinis profluuio penè exanimatæ, cumque ægritudinis causam cognouisset, gemmam inæstimabilem morbo illi mirificè accommodam afferri iussit, anusq; illius digito aptari; simul & corpus Regum Regis in templum, vnde profectum erat summa veneratione reduxit. Paucis vero post diebus anus illa cum reualuisset; egit quidem pro recuperata salute Regi gratias quales potuit: sed gemmam, quam maiestatem dicerent eius sibi penè mortuæ commisisse, aiebat sibi ne visam quidem perdidisse. Stomachari qui aderant cœpere, aniculam execrationibus & maledictis propalàm incessentes. Rex vero subridens: *Abi*, inquit, *mea mater, & cura tu valetudinem tuam: quoniam stulti quidem isti (vt vides) parum sanitatem suam curant.* LII. Piè. Facetè.

52 Sena vetus erit ea vetula confido, quam Regis gemma curabit: sed non a-

mittet gemmam, id est, beneficii gratiam. Nam Regi & filio, & natis natorum, & qui nascentur ab illis, dum stabunt mœnia, fidelis & obsequens erit.

LIII. *Grauiter.* Cum Syracusanum equitem truculentis moribus Rex hominem Barbarum appellasset, atque ille quòd præclara, prima Græca origine esset, nomen Barbari abhorrens iniquo animo ferre iniuriam videretur, *Ego*, Rex inquit, *non à prima soleo, sed à moribus Barbaros definire.*

53 Et in Græcia & in Italia nati educatique barbarizant. Nam quid magis barbarum quàm rapto viuere, & omnem æquitatem omnemque religionem proculcare, quem Italicum morem esse videmus.

LIV. *Facetè.* Admisit in colloquium ac patientèr audiuit ipsos etiam socordi ac obtuso ingenio homines. Audiens vero illos, subinde oculos ad eos coniicere solitus erat, quos proba norat ingenia, ac sensa hominum percallere, Ennianum illud leui voce submurmurans: *Vulturis in syluis miserum mandebat homonem.* Bellissimè enim non homines Ennium appellasse eos dicebat, quos vidisset ex homine nihil præter effigiem possidere.

54 Ennius, si plerosque nostri seculi Reges contemplatus esset, credo non Reges, sed *Regones* appellasset: Ecclesiæ quoque prælatos, *Pralatones* vocitasset, qui præter coronas & infulas dignitati quod respondeat, nihil ostendunt.

LV. *Grauiter.* Principes qui iustitiam non colerent, iis persimiles sibi videri dicebat, qui morbo caderent comitiali. Nam cum animæ materia sit sola iustitia, qua tenetur ad vitam, teste Lactantio: quid restat principibus sublata iustitia, hoc est sublata nutricatione & cibo, nisi caducarios videri.

55 Iusti est principis non solum afficere neminem iniuria, sed eos qui damna quibusuis hominibus sine iusta causa inferunt, si possint prohibere. Nam (teste Tullio) qui non obsistit, si potest iniuriæ, tam est in vitio quàm si patriam aut parentes deserat. Eam ob causam cum possit Alphonsus prohibere Picininum ne Senensibus oneri sit, ne bello impio pium populum afficiat, nisi id agat, iustitiam neglexisse caducariusque non immerito videatur.

LVI. *Facetè.* Iacobo Alamano homini Christiano, sed Iudæis orto parentibus, cum is diui Ioannis aureum simulachrum vænale Regi exhibuisset, ac pro eo quingentorum aureorum precium postularet, ita respondit: *Non tu sanè ineptus es, & maiorum tuorum longè dissimilis, discipuli & seruuli imaginem tanti æstimans: cum illi Ioannis ipsius magistrum & dominum, & regem Iudæorum, triginta non amplius denariis vendiderint.*

56 Coloniæ Agrippinæ pictor quidam insignis, sed prodigus & piger & amator vini, quàm plures Christi imagines cauponibus pignori dedit, easque hoc pacto perdere quàm vendere maluit. Interrogatus cur non potius venderet: *Ergo*, inquit, *me Iudæum esse quàm Christianum mauultis.*

Ioan-

Ioannes Fortis cognomino, miles veteranus ægerrime ferens, *LVII.*
quod oppidum ſuæ fidei commiſſum ſibi Rex auferret, vt alteri daret, *Clementer.*
ab eo diſcedens Italiam, Galliam, Germaniam, Hiſpaniam peragrauit, omnibus in via regibus, principibus ac populis Alphonſi ingratitudinem & conficta etiam vitia diſſeminans ac diuulgans. Sed cum nemo omnium eius maledicentiam quamuis Alphonſi hoſtis tam gratanter audiret, vt vel panem modò & naſturtium offerret ad victum; inopia coactus ad Alphonſum retrò repetens, Florentiæ reſtitit, Regis animum quem probris immutatum ſibíque infenſum crediderat, explorans. Id Regi vbi primum innotuit, Ioanni renunciari iuſſit, tutò ad ſe redire licere. Se quidem potius benefactorum eius quàm vanè dictorum memorem eſſe, venientemque viatico & pecunia iuuit. Simili moderatione ac liberalitate vſus eſt tum erga alios multos, tum proximè erga quendam equitem Hiſpanum. Is enim cum apud Reges occidentales ferè omneis Alphonſi nomen & vitam, nulli maledicto parcens, paſſim propalamque proſcidiſſet, tandem rediens ab Alphõſo perhumaniter ac benignè exceptus eſt.

57 Ioannes Gerſius Vueſtualus qui Sigiſmundi Cæſaris protonotarius fuit, Alberto Romanorum rege fatis functo, principes Electores apud Francfurdiam adiit, ac ne Fridericum eligerent ſuadere ſummopere conatus eſt, conficta in eum vitia multa diſſeminans. Neque contentus his; cum Romam Fridericus peteret imperiales infulas ſuſcepturus, Nicolao quinto pontifici maximo epiſtolas direxit, quibus ne Fridericus coronaretur annixus eſt. Nihil tamen horum Imperatorem latuit, hominemque cum poſſet corrigere atque interimere, paſſus eſt Viennæ viuere, partisque frui bonis, quæ illi non mediocria fuere.

Audiui ſæpenumero Regem dicentem, tantum valere ad fi- *LVIII.*
dem debere Principum verbum ſimplex, quantum priuatorum ho- *Grauiter.*
minum iusiurandum.

58 Apud Reges nihilo magis iuramentum quàm ſimplex verbum valet. Animo enim princeps obſtringi, non alia quauis arte poteſt. Sed pudet me, plus hodie fidei trans montes quàm circa reperiri. Pleroſque ex noſtris principibus, quos Italia genuit, adeò parabolanos (vt ita loquar) inuenias, vt certiora ſint meretricum, quàm eorum promiſſa.

Cicchum vinarium inter vtres & dolia vini Græci per vindemi- *LIX.*
am mortuum inuentum, Regi cum renunciarent, ſepeliri eum iuſſit, *Iocoſe.*
& huiuſmodi diſtichon ſepulturæ inſcribi:

Hic ſitus eſt Cicchus, quem teſtas inter & vtres
Mactaſti Græco palmite Bacche furens.

59 Alexander, qui ex ducibus Maroniæ * erat, egregius bibulus, cum mortem ** ſ. Morauiæ*
obiiſſet apud Viennam, diemque illi tricesimum in templo diui Stephani, cui præfuerant canonici multique viri nobiles, celebrarent, ſacerdos qui ſitibundus cellam vinariam præpoſitæ intrauerat, vidiſſe ſe inter dolia deambulantem aſſerunt, & ad

Ecclesiam reuersus, cum orantes adhuc compresbyteros inuenisset: *Quid hic Alexandro infertas*, inquit, *agitis? Ille in suo templo laetus agit bibitq́;, vos hic siti arescitis.*


LX. *Grauiter.* Regna quæ plurima quidem haberet & possideret, malle se perdere etiam persanctè affirmabat, quàm literas quas permodicas sciret dicebat, nescire.

60 Pœnituisse quàm plures adepti regni compertum est, at qui literas didicissent neminem. Est enim doctrina sapientiæ similis, quam omnis anima concupiscit, nulli onerosa. Regni molestiæ multos oppressere, quamuis Bononiensium insania cuncta regna posthabens, cupiat cum capitis periculo vel diem regnare.

LXI. *Magnificè.* Vectigal quod ex meretricio, atque alea multis ante seculis pensitabatur, sustulit: Neapolitano ciui, cui ad lucrum à superioribus Regibus concessum erat, priusquàm vectigal aboleretur, satisfaciens. Portus pulcherrimam molem pluribus locis euersam restituit; aquæ ductus subterraneos expurgauit ac refecit: veteres fontes instaurauit: nouos nonnullos extruxit; aquas publicas diu iam magna ex parte dispersas, in aquæ ductus alueum reduxit; vias vrbis propè omnes vetustate & frequenti vehiculorum transitu detritas atque conuulsas nigra silice constrauit, plaustris penitus vehiculisq́; vrbe summotis, & nunc Diis bene iuuantibus parat ad aëris serenitatem salubritatemq́ue paludes siccare & lacus emittere.


61 Apud Bohemos hoc vectigal exigi nequit, apud quos lupanaria, & quæuis pacta publica Hussitarum lege prohibentur. Nostri minora mala tolerant, vt maiora quæque deuitent. At bene cum Neapolitanis actum est, quibus hunc regem diuina pietas dedit, quo regnante & ditantur & extolluntur. Memoriam, si grati fuerint, Alphonso æternam retribuent, qui regnorum omnium suorum huc opes contulit.

ANT.



ANT. PANORMITÆ DE DICTIS ET FACTIS ALphonſi Aragonum Regis Liber ſecundus.

PROOEMIVM.



VEREOR ne quis me putet in his libellis pleraque locutum in gratiam Alphonſi benefactoris: ac proinde vanitatis arguendum eſſe. Quod vitium à graui viro, præſertim ſcriptore, longiſſimè abeſſe debeat. Verum ille quiſquis eſt (modo eſt aliquis) neque mores meos neque Alphonſi naturam ſatis noſſe facile coargueretur, cum intelliget mihi quidem haud opus fuiſſe aſſentatione ad gratiam ineundam, quam videlicet aſſecutus eſſem etiam ſingularem viginti annorum perpetua lectione, conſtantiſſima fide, infatigabili obſequio, ſumma obſeruantia, & puro conſilio, veritate incorrupta: quibus profectò artibus à ſummo atque humaniſſimo rege potiſſimum dilectus atque probatus, ſine vanitate aut blanditia aliqua. Qua in re teſtis mihi fuerit conſtantia eius, quæ nihil magis auerſata ſit quam adulatores, quos etiam peſtem principum appellare conſueuerit & variis interdum pœnis affligere. Tantum itaque abeſt vt ego me huiuſmodi leuitate ſubinſinuem, vt nihil magis doleam, quàm permulta illum dixiſſe aut feciſſe quæ neſciam, & quæ ſciam, haudquaquam me ea ſuauitate ſcripturum eſſe confidam, qua illum conſtat apud homines locutum fuiſſe. Fuit enim ſermone admodum iucundus, breuis &

elegans, venuſtus & clarus. Ego vero vt quæque in mentem veniunt, quanquam ſunt pauca è multis (ſat ſcio) ea tamen dicta aut facta literis mando, non loci, non temporis ordine ſeruato (neque enim hiſtoriam ſcribo) ſed ea duntaxat excerpo atque perſtringo, quæ ad exempla virtutis ac probitatis accommodari poſſe videantur, quo illis maximè in promptu ſint, qui de Alphonſo quotidie aut loquuntur, aut orant, aut ſcribunt, aut deniq; imitari eum ſtudebunt fortaſſis in poſterum. Sed de hoc hactenus: ad Alphonſi dicta & facta redeamus.

ÆNEAS SYLVIUS IN PRÆDICTVM PROOEMIVM.


QVI norit Alphonſum, nemo te Antoni dixerit adulatum. Si adulari eos tantummodo dicis, qui mortalium facta dictaque ſupra verum extollunt. Libellus tuus quamuis elegantiſſime ſcriptus eſt, diminutè tamen magis, quàm ampliter Regis laudes attingit. Nec miror. Quis enim eius regis egregia facinora abundè retulerit, qui annos quadraginta omnium iudicio ſapientiſſimè regnauerit. Ego quidem vt de tuo Rege iudicium meum prodam, omnes qui modò regnant, quique regnaturi poſthac fuerint, Alphonſum tanquam ſpeculum quoddam virtutum contueri oportere arbitror; ſi ſibi gloriam, prouincialibus ſuis quietem parare voluerint.

* * *

ALPHON-

ALPHONSI REGIS DICTORVM ET FACTORVM

LIBER SECVNDVS.



CVm esset Valentiæ Alphonsus, appulerunt eò loci Caroli regis Franciæ legati, magnopere eum rogantes, ne per id tempus, quo Rex eorum bello Britannico implicatus esset, contra se bellum aliquod suscitaret. Quàm maximè enim verebatur Carolus, ne Alphonsus capto tempore & occasione eum armis lacesseret. propterea quòd ius ac titulum prætenderet in eam partem Galliæ Narbonensis, quam incolæ Occitaniam vocant. Quibus Alphonsus ita respondit; *Etsi certò scio plurimas Narbonensis Galliæ ciuitates ad Aragoniæ regnum pertinere, quas Carolus Rex iampridem occupatas detineat, nihilominus hoc tempore, quo illum intelligo bello superatum & à Britannis protritum esse, nequaquam me arma contra profligatum regem moturum esse vobis affirmo: neque eo animo esse, vt cum maiores mei in Caroli prosperitate non petierint, ego in eius repentinam calamitate. Quid Regi indecentius quàm victum prouocare? Rursus quid inhumanius, quàm naufragum submergere?* Hac securitate legatos remisit, demiratos Alphonsi virtutem & magnanimitatem. Caput I. *Magnanimè.*

1 Inter Fratres qui beatæ Mariæ Teutonicorum appellantur, ac Poloniæ Reges de regni finibus magna sæpe contentione certatum est. Cæterum arbitror Sigismundo Cæsare litem extinctam, pacem factam, iuratum signatumque fœdus. Anno abhinc tertio conspirant inter se quinque & quinquaginta Prutenorum ciuitates, impiaque contra dominos arma suscipiunt, & contra fratres vniuersæ rebellant. Tum Casimirus Poloniæ Rex portionem sui regni Prussiam esse asserens, occasione oblata bene gerendæ rei bellum Fratribus indicit. Tanto diui Alphonsi, quàm Barbari regis modestia maior. Sed non minori perfidia Picininus contra Senenses vsus, quos bello quandoque male afflictos, quamuis sibi patrique suo fuissent amicissimi, non est veritus armis lacessere.

Cum adhuc Valentiæ ageret, Helionoram sororem, quam vnicè diligebat, Eduardo Ioannis Portugalliæ regis filio natu maiori magnificentissimo apparatu nuptui tradidit. Ex quibus postea procreata Helionora filia: dumque hæc scriberemus, Friderico tertio Romanorum regi (quod faustè & feliciter eueniat) eiusdem Regis & auunculi opera desponsata est. II. *Liberaliter.*

2 Ad hæc sponsalia contrahenda nos huc ex Austria legati Cæsaris venimus,

remque absoluimus, quamuis collegæ nostri Georgius de Populosa, & Michaël de Plena vilia aduersi essent, qui dotis nomine minus promitti, quàm par esset arbitrabantur. At Leonora Augusta (sic enim eam vocitamus) regia neptis hoc anno filium peperit, Christophorum nomine, scitum puellum, & oris lineamentis Alphōso persimilem, vtinam moribus.

III. *Constanter.* Capta à Rege Massilia, cum sibi renunciaretur, matronas ferè omnes ac puellas ciuitatis pretiosissimis rebus omnifariam onustas in templum Augustinianorum perfugisse, eas diligentissimè obseruari curauit: Cumque & illæ vim & contumeliam pertimescentes Regi per internuntium supplicarent, vt tradita omni earum gaza, ipsas omnino sineret intactas; Rex ne visas quidem cum vniuersa ipsarum supellectile quantumuis pretiosissima, ad vnam omnes abire permisit.

3 Aphricanum superiorem, qui vnius virginis pudicitiæ consuluisset, non satis à Liuio laudatum arbitramur, quamuis in eo facto extollendo nihil omisisse videatur. Alphonsus Massilienses omnes virgines ac matronas conseruauit intactas. In agro quoque Vulturnano cum oppidum vi expugnasset, cui Ripa Maleranitæ nomen est, pari moderatione in fœminas vsus est. Quas igitur huic Regi laudes attribuemus? immortales certè. Si Picininum reliquerit, apud quem virgines ac nuptæ bello captæ contumelia afficiuntur.

IV. *Mire.* Illud quoque in obsidione Massiliæ admirabile extitit, quod ex insula Pomatia quæ ad tria fermè millia passuum* contra Massiliam sita est, saxa tormentaria mille quingentorum pondo ad vrbem vel vltra etiam vrbem iecerit. Catenam portus amplissimam hoste inuito ac renitente perfregit. *Religiosè.* Sed & id longè admirabilius, quòd opulentissima vrbe vi potitus, nihil inde præter diui Aloisii corpus deportauit. Indignum sanè diiudicans tam venerabiles reliquias in vrbe victa, direpta, & incensa remanere debere. Illud quoque non omittendum, quòd cum inde in Hispaniam enauigans asperrima maris tempestate iactaretur, & nautæ, & sacerdotes, & commilitones vnà omnes conclamarent Aloisii corpus velut periclitationis causam remittendum esse; illum in proposito perstitisse, & aut sibi vnà cum Aloisio pereundum esse, aut in longè augustiorem Diisque acceptiorem ciuitatem se sanctissimi corporis reliquias conditurum asseuerasse. Vicit pertinacia, peruenitque Valentiam vlteriorem Hispaniæ inclytam ciuitatem, vbi sanctissimum Aloisii corpus carissimæ victoriæ solam mercedem, sed æternæ suæ gloriæ monumentum, summa cum veneratione ac gratulatione ciuium collocauit.

*i. è regione.

4 Ratispona super Danubii ripa apud Baioarios magna & insignis vrbs est. Hic sancti Emmerani vetus monasterium cum viseremus, Abbas qui loco præerat, reconditum nobis ostendit corpus, quod diui Dionysii Areopagitæ esse asseuerauit. Cum nos Dionysium apud Parisios obseruari diceremus, Leonis papæ

literas

literas in medium attulit, quæ testarentur Imperatorem (si rectè meminimus) ex Henricis vnum, cum Regem Franciæ inuisisset ac Parisius ageret, hæc ossa furatum huc detulisse, appellatque sanctus pontifex *pium Imperatoris furtum.* Nos Regis *etiam spolium* dicere possumus, quo sanctissimus Aloisius ex Massilia in Valentiam translatus est.

Gerborum insulam, quam putamus Lotophagitem antiquitus dictam, ingenti admodum classe Rex obsederat, & ne vlla incolis auxilii spes reliqua esset, pontem qui continentem coniungebat, desecuit, turribusque muniuit. Quo facto relinquebatur Alphonso nihil, nisi vt leui momento insulam populatus rediret victor & voti compos. Cum interim ab Oserio Tunicensium rege literæ in hanc ferè sententiam deferuntur: *Rex Regi salutem. Scimus ô Alphonse, te maiori animo esse quàm vt Gerborum populatione contentus decedas. Iccirco decreuimus ad te confestim accedere, & facie (quod aiunt) ad faciem intueri. Credimus interea minime recessurum, quoniam fugere longe a magnanimo alienum est, vale.* Alphonsus his literis acceptis, oblata occasione maioris gloriæ, decreuit contempta insula Barbarum expectare. At ille tempori aduenit, & quidem cum centum millium fermè armatorum exercitu, castraque ad iactum teli contra pontem & turrim, quam nostri milites tenebant, locauit, tormentis, telis, clamoribus nostros continuò lacessens. Constituerat Alphonsus postero die collatis signis cernere. Cæterum ardor militum (vt plerumque fit) contineri diutius nequiuit, ponte transito se in continentem eruperunt ac profligarunt barbaros: nec procul fuit quin Regem etiam ipsum caperent. qui à propinquis & necessariis quibusdam suis in equum alleuatus, inter nostrorum militum manus propemodum apprehensus effugit. Qui vero Regem tutati fuerunt, quoniam fugæ locus non fuit, ad vnum omnes trucidati sunt ante Regis pedes, prætorium captũ direptumque, tormenta ænea ac ferrea omnia confracta, signa militaria pleraque ablata, inæstimabilis atque omnis generis præda ex victoria relata. | V. *Fortiter.*

5 Heri aliquot legati Regem conuenimus: incidit sermo de Philippo duce Burgundiæ, quod votum vouisset contra Turcos arma sumere, laudauimus nobilissimi principis animum. Quid nam ipse Rex facturus esset ad religionem tuendam, percunctati sumus. Tum ille, *Si vixero,* inquit, *in annum proximum classe Turcos in Græcia atque Asia lacessam. Alphonsus ex sorore nepos, rex Portugalliæ, in comitatu meo erit, quadringentis & eo amplius velis mare sulcabimus, in hostium terram quinquaginta millia pugnatorum exponemus. Iam tela, iam arma in promptu sunt, tritici medios quinque & septuaginta millia conscripsimus. naues onerarias triginta expediuimus, quarum vnam in portu vidistis, qua maiorem auo nostro non tulit pelagus. Animus bonus est, adsit modo cum vita bona valitudo.* Si propositum Rex tenuerit, tres orbis partes armatus inuiserit, ac triumphando percurrerit, Europam,

Africam & Asiam. Idem Cæsar factitauit; at ille contra patriam, hic pro patria pugnaturus est, & pro catholica Ecclesia, in qua regenerati omnes sumus.

VI. *Diligenter.*

Cum Rex victoria illa inclyta Tunicensium, aut magis Pœnorum regis, in Siciliam se recepisset, non milites quidem sinit ocio torpescere: sed statim, re frumentaria & aquaria reparata, traiecit in vrbem, quam Pœni Aphricam vocant. Vbi perspecto & vrbis & portus situ, abductis demum aliquot hostium nauibus, quæ in portu erant, Siciliam primo, inde Ænariam petiit, quam insulam incolæ Isclam appellant. Cæterum in hac Aphricana expeditione illud relatu dignum mihi visum, quod oppidani Rege quàm primum cognito, inauditam gratulationem intra vrbem ediderunt, tubis tibiis'que ac vocibus affectum animi significantibus; putarunt nostri ciuitatem sese dedituram. At illis mos est transeuntem Regem quamuis hostem applausu, & huiuscemodi gratulatione venerari.

6 Nougardia ciuitas est inter Rutenos amplissima, & auro atque argento abundans. Rutenos non illos dico, de quibus Lucanus ait:

Soluuntur flaui longa statione Ruteni:

Russi. Nam eos inter Galliam habitasse constat, hi Germanos vltra, & Sarmatas, & Lituanos, non longè ab ortu Tanais sedes habent, ad quos Romanorum Ducum nemo vnquam penetrauit. In medio vrbis foro lapis quadratus est, in quo Rex, & quidem stans ius populo dicit, sed rarò regia potestas in annum apud vnum mansit; sæpe in vnam diem duo tresvé regnauere. Surgit enim ex populo qui clientelis se satis armatum existimat, Regemque deturbans lapide, locum eius inuadit, atque e-uestigio Rex salutatur. Haud absimilem & ipse casum subit, si quis se fortior aduenerit regni cupidus. Mira diuersitas regionū, Septentrio suos inhonestat Reges, Meridies non alienos tantum, sed etiam hostes honorat.

VII. *Abstinenter.*

Vini autem omnino expers vixit, aut eo quàm dilutissimè vsus est. Eaque abstinentia manauit (vt pleraque regum exempla) ad curiales ac regios prope omnes, potissimùm cum eos sæpe admonens, afferret Alexandri Macedonis gloriæ plurimum obfuisse vini intemperantiam: Tum illud frequenter vsurparet, *Sapientiam vino obumbrari:* neque illud minus, *Ebrietatis filios esse furorem & libidinem.*

7 Fridericus Imperator extra cœnam nunquam vtitur vino. In cœna lectissimum bibit, id aqua perdomitum. Leonoræ Augustæ, quæ paterna in domo nunquam vinum gustasset, suadebant medici in Germania regione frigida, si mater fieri vellet, vinum biberet. Quod cùm accepisset Fridericus, me vocato, *Abi,* inquit, *atque Imperatrici dic eo, sterilem me coniugem quam vinosam malle. Proinde me si amat, vinum oderit.* Ad id nuncium Leonora; *Etsi viri iussiens tam libenter pareo quàm viuo, si tamen vini vsum mandauerit Imperator, mori optauerim quam parere.*

VIII. *Fortiter.* *Pie.*

Præstito iam auxilio Ioannæ reginæ, eiectisque eius aduersariis è regno, & tandem illa in pristinam & dignitatem & tranquillitatem Regis opera atque potentia restituta; allatum est Henricum fratrem

à Ioan-

à Ioanne vlterioris Hiſpaniæ rege, dominatu boniſque omnibus ſpoliatum in vincula coniectum eſſe, Rex celeri nuncio permotus (ſiquidem Henricum propter eius animi egregia ornamenta, magis etiam quàm fratrem diligebat) poſthabitis Neapolitani regni delicis, quas ſibi multo & ſudore & cruore comparaſſe videbatur, ad liberationem fratris maturauit, liberauit, & in priſtinam fortunam reſtituit.

8 Teutoniæ Regibus, qui ad Imperium eliguntur, apud Belgas in Aquenſi ciuitate mos eſt coronari atq; inungi. Huc dum Fridericus iam electus properat, Albertus frater eius iunctis cum Comitibus Celiæ viribus Carnos inuadit, Labacum inſigne ac munitiſſimum oppidum obſidione cingit, Cramburgenſes infeſtat, Tergeſtinis, ſe niſi dedant, exitiũ minatur; apud Carenthanos, apud Stirienſes nouas turbas excitat. Seniores, qui apud Erneſtum patrem imprimis accepti ac fideles fuerant, Friderico ſuadent patrimonii quam Imperii curam maiorem gerat: Imperium rem communem, alio tempore curari poſſe, patrimonium rem propriam, & ad hæredes tranſituram, niſi nunc tueatur, fruſtra in poſterum optari quærique. Contra Fridericus Imperii communia negotia per ſeſe, hereditaria & priuata per procuratores curanda ſtatuit, cœptumque iter proſequens belli duces elegit, qui ſe abſente patriæ conſulant. Coronatus dum reuertitur, fratrem cum comitibus profligatum reperit, ad ſe vocatum temerati fraterni hoſpitii & amoris arguens, rurſus in gratiam recepit, & quaſi nihil peccaſſet, in partem regni reſtituit.

Cum eſſet Rex apud Ænariam, in quam vnà cum victoria Aphricana morbum intulerat, & inaudito genere peſtis laborabat exercitus, renunciatur ei inter cæteros Antonium Picentem ordinis Eremitarum, nobilitatum poſt mortem hypocritam, per ſummos cruciatus animam exhalaſſe, iactando plurima in Chriſtum dominum, & virginem eius matrem conuitia atque blaſphemias. Hic eſt ille Antonius, qui quadraginta dies & noctes perpetuò ieiunare ferebatur; qui Italiam, Siciliam, atque Hiſpanias compleuerat nomine ſanctitatis & abſtinentiæ, pluribus locis cella præcluſus, & à cuſtodibus obſeruatus nihil edens aut bibens, quoniam in præuiſa ac prætentata cella in qua nihil quod vel obſeruare liceret, ineſſe videretur. Cæterum angelos ei quotidie miniſtrare ac confabulari ſolitos opinabatur. Verum ipſi intus in cella erant candelæ craſſiores, exterius quidem & ſuperfuſoriè ceratæ. Sed in quibuſdam fiſtulæ cannarum concludebantur farina infartæ, quæ ex contritis phaſianorum ac caponum carnibus zaccaro ac aromatibus immixtis condiebantur. Aiunt & cingulum geſtaſſe fiſtulatum plenum nectare, quod hipocraticum vocant. His epulis clanculum veſcebatur, vir habitus æque ſanctus, & mortalium omnium qui vnquam fuerunt aut eſſent vulgi opinione, abſtinentiſſimus. Is igitur cum renunciaretur Regi vermiculis ac acerbiſſimo genere mortis abſumptus, dixiſſe ferunt, *Propterea Deum in hypocritas tantopere ſæuire, quod dum homines decipiunt, interponũt Deum* IX. *Sapienter.*

ipſum tanquam ſceleris mediatorem. Ideoq́, vt plurimũ viuentes adhuc plecti in oculis hominum, quos Dei nomine feſelliſſent, vt intelligant mortales à tali monſtro maximè ſibi cauendum eſſe, quòd Deum ipſum nedum poſt mortem ſed etiam in vita ipſa haberent indubitatum vltorem.

9 Mulierem, quæ in dies quadraginta totidemq́ue noctes nihil omnino ederet, ſe vidiſſe Patauii magnus Albertus ſcriptum reliquit: neq; id contra naturam eſſe in fœmina ægrotante & frigida. Verum ſub Nicolao quinto pontifice maximo ex vltimis Galliarum finibus presbyter Romã venit, qui ſe in quadriennio nullo vſum cibo aſſereret, niſi cum aliquando ab Epiſcopis inuitatus paululum quid deguſtaſſet, inediæq́ue ſuæ in multos dies, ſi quis optaſſet, periculum faciebat. Hic dum Senis eſſet, Leonardo noſtro Imolenſi Romanam ſe curiam petiturum ait, ſcandalumq; ibi paſſurum non petiturum. Cum venit Romam, dies illic multos ſint, admirationem ſui turbis fecit, quaſi ſanctus & Deo charus. Poſtremò captus virgisq; cæſus, in exilium eſt actus. Suſpectum eſt enim, quicquid prodigioſum.

X. *Prudenter. Iuſte.*

Acceſſit quidam ad Regem, & in laudem & commendationem inimici ſui cuiuſdam capitalis verba coràm faciens, admirationi erat hiis maximè, qui ſimultatem eorum probè cognorant. Sed prudentiſſimo Regi inſueta bonitas ſuſpicioni fuit. Dixitq́ue ſeorſum ad amicos & familiares: *Hæc benedicentia (mihi credite) erumpet tandem in calamitatem inimici, ni aduerterimus:* nec eum fefellit opinio. Sex continuos menſes benedicẽdo ille protraxit, vt è benedictis fidem adeptus opportunius inimicum opprimeret. At eius malitia, quæ ſub ſpecie bonitatis in caput alterius ſerpendo graſſabatur, Regis prudentia detecta eſt, & inſons ille à calumnia ſeruatus.

10 Comites de Wirtenbergo apud Germanos in Sueuia latè dominantur, quamuis principatus honore & appellatione careant, potentia tamen multos principes antecedunt. Ac inſolentes & improbi habentur, qui neque Romanam ſedem verentur, neq; obſequuntur Imperio. Nobilis quiſpiam qui hos diu ſectatus fuiſſet, ab eis tandem recedens ad curiam Cæſaris profugit. Henricus tum ſeptimus imperabat, auus Caroli quarti, qui Sigiſmundi pater fuit. Nobilis conſpectu Cæſaris quotidie accuſare Comites, nunc rebelles nunc raptores appellare, hoſtes Imperii, cõtemptores Eccleſię. Cui Henricus, *Tace*, inquit, *veterator. Neq; laudanti tibi, quos ſcimus peſſimos; neq; vituperanti, quos tu olim ſequebaris, fidem habemus.*

XI. *Prudenter.*

Cum audiſſet nonnullos Europæ reges ad Baſilienſe Concilium deſtinaſſe miſiſſeque oratores potentes & progenie illuſtres, magna cum equorum & comitantium pompa; delegit ipſe è ſuis quos ad Cõcilium mitteret, non quidem qui ſanguine, ſed qui ingenio & ſapientia præcellerent. Hi fuerunt Ludouicus Pontanus iuriſconſultorum eo tempore facilè princeps, & Nicolaus Siculus archiepiſcopus Panormitanus, & hic in iure pontificio ætatis ſuæ nemini ſecundus. *Namque haud decere*, inquiebat, *quum de iure humano & diuino diſceptandum eſſet, nobilitatem potentiámve iactare, ſed doctrinam, ſcientiam, atque iuſtitiam.*

11 Ludo-

11 Ludouici Pontani & Nicolai Siculi bella legatio, & digna tanto principe, nisi discordes animæ & inuidia laborantes, neq; Regi neq; Cōcilio vtiles extitissent. Fuimus & nos Basileæ, notumq; nobis est, non minus occupatam fuisse Synodum ad reconciliandos inter sese Regis legatos, quam vt Bohemos ad Ecclesiæ Catholicæ consensum reduceret.

Numismata illustrium Imperatorum, sed Cæsaris ante alios, per vniuersam Italiam summo studio conquisita, in eburnea arcula à Rege penè dixerim religiosissimè asseruabantur. Quibus, quoniam alia eorū simulachra iam vetustate collapsa non extarent, mirum in modum sese delectari, & quodammodo inflammari ad virtutem & gloriam inquiebat. XII. Obseruanter.

12 Antonius S. Marci Cardinalis, Eugenii quarti summi præsulis nepos, incredibile est quam multa numismata veterum conquisierit Imperatorum ac principū: amator & hic vetustatis est. Nobis Alphonsus cum essemus apud se Puteolis, ait inuentum à se Neronis aureum nummum, quo pessimus Imperator eam sibi laudem vsurpauit, qua diuus Augustus in cœlum tollitur, Clausum templum quod veteres Iano dicauerunt: damnabatq; sapientissimus Rex stultum principem, qui sibi falsam gloriam vendicaret. Non est igitur Antoni, cur vel tu, vel ego, tanti regis gratiam consequi mentientes speremus.

Caii Cæsaris commentarios in omni expeditione secum tulit, nullum omnino intermittens diem, quin illos accuratissimè lectitaret, laudaretq; & dicendi elegantiam & belli gerendi peritiam; *Inertissimum se respectu Cæsaris* prædicare nequaquam veritus, tametsi à nonnullis tum studiis humanitatis, tum militiæ scientia non in vltimis reponeretur. XIII. Studiosè. Modestè.

13 Bartholomæum Facium, qui gesta Regis scribit, non miror imitatum esse in genere dicendi C. Cæsarem, quando eius commentaria Regi tantopere placent. Verum Lituaniæ ducem Suitrigalum nunquam e domo pedem mouisse aiunt, quin dispensatorem percontaretur, an librum quem sibi *de arte popinaria* accuratissime componi curauerat, secum afferret, quasi Apitius exquisitarum cultor epularum. Cœna apud eum non minus sex horarum fuit, nec fercula minus quàm triginta & centum allata sunt, dum ligurit. Itaque occidentales Reges legunt, septentrionales edunt.

Librum & eum quidem apertum pro insigni gestauit, quod bonarum artium cognitionem maximè rebus cōuenire intelligeret, quæ videlicet ex librorum tractatione atq; euolutione perdisceretur. Atq; ideo Platonem inprimis laudare solitus erat, quòd reges diceret *aut literatos esse oportere, aut certe literatorum hominum amatores.* XIV. Studiosè. Modestè.

14 Quod iubet alternatim Plato, Alphonsus copulatim implet, qui & literatus est, & homines amat literatos. At rara in terris auis. Nam seculo nostro omnes fermè reges Nursini videntur, qui lectorutos (sic enim literatos vocant) è consilio procul arcent.

In vrbium direptione quicunque ex militibus librum offen- XV. Studiosè.

diſſet, confeſtim certatimque illum ad Regem quaſi ſuo quodam iure perferebant. Siquidem fama vulgauerat, eum libris maximè delectari ſolitum. Itaque nulla alia in re magis ſeſe Regi gratificari dignius aut facilius poſſe arbitrabantur, quàm in libris exhibendis atque tradendis.

15 Wenceslaum Bohemiæ regem inter purpuratos ſuos crebro ſermone vſurpare ſolitum ferunt: *Ego ſi me diripiendis vrbibus Italiæ fors præſentem dederit, cæterarum rerum prædam militibus impartiar, vini tantum apud me ſpolia reſeruabo. Si quis autem in cellam vinariam iniuſſu meo fuerit ingreſſus, gladio ferietur.* Hunc Principes Electores velut inertem atque væcordem Imperio deiecerunt, Ruperto Boiario in locum eius ſuffecto. Ad quem ciuitates Teutoniæ omnes defecere, demptis Norinbergenſibus, qui Wenceslao iuraſſent. Hi cum hinc iuriſiurandi religionem vererentur, inde vim Boiarii timerent, legatos ad Wenceslaum mittunt, qui ſe iuramento ſolui petunt, ac ſi neceſſe ſit auri viginti millia nummûm in eam rem offerunt. Rex auditis legatis, liberos Norinbergenſes dicit, ſi currus quatuor tradant onuſtos vino, quod Baccharacenſe vocant, hoc eſt inter Rhenenſia vina (vt putant) optimum.

Wenceslaus. Auctor in Bohemia c. 34.

Vinum Baccharach.

XVI. Liberaliter.

Diem illam in qua nihil legeret, ſe perdidiſſe dicebat. Sed & cum audiſſet Veſpaſianum Cæſarem eam diem ſe perdidiſſe ſolitum dicere, in qua nihil quicquam alicui donaſſet; egiſſe gratias Rex dicitur immortali Deo Ieſu Chriſto, quòd eo modo nec diem ipſe perdidiſſet.

**lib. 1. c. 46.*

16 Ab eo Principe, qui muſcam è cratere (vt ante relatum * eſt) proripuit, petiit quiſpiam filiæ, quam haberet vnicam, aureos viginti, quibus eam nuptui traderet, ſibi enim non eſſe vnde corradere dotem poſſet. Id vbi negatum eſt, ad vicinum Regem commendatitias literas impetrauit, quas vir bonus & nobis amicus dictauit, ſignandaſque Principi tradidit. Cui princeps, *Vnde papyrum ſumpſiſti? Ex tuo*, inquit, *armario.* Tum princeps, *ſiccine me*, ait, *expilatis omnibus, ſi ſic bona noſtra prodigemus, ad mendicitatem breui redigemur. Malè hanc diem expendimus.*

XVII. Studiosè.

Gloriatum aſſiduè Regem ſcimus, quòd Biblia quater & decies, cum gloſſis & commentariis perlegiſſet. Proinde illa memoria ita tenere, vt non ſolum res, ſed & verba etiam ipſa pluribus locis ſine ſcripto redderet.

17 Pudeat Italiæ ſacerdotes, quos ne ſemel quidem nouam legem conſtat legiſſe. Apud Thaboritas vix mulierculam inuenias, quæ de nouo teſtamento, & veteri reſpondere neſciat.

XVIII. Fortiter.

Cum claſſis regia tempeſtate abrepta, ad inſulas Stæchades decurriſſet; atque eòdem vna ex diſſipatis triremibus aduentare proſpectaretur, conſciſſo velo ac remo decuſſo, ſummo cũ militum & nautarum diſcrimine; inclamauit Rex, vt aduenienti illico omnes irent ſuppetias. Cumq; omnes periculum recuſantes inclamarent melius vnâ quàm vniuerſas triremes iri perditum, Rex nihilo ſegnius prætoriam

riam soluit ipsemet, & si nemo subsequeretur, solus opem anxiis laturus. Quo facto cum cæteri postea pudore compulsi Regem secuti, triremem propè obrutam non sine omnium periculo moueri posse dicerent, *Mihi profectò*, Rex ait, *satius visum est vnà cum sociis viris fortissimis occumbere, quam illos videre pati, & ante oculos interire.*

18 Si vnius triremis liberandæ causa,in qua ducenti vel paulo plures perire homines poterant, ingenti periculo sese Rex obiecit,quid faciat pro B.Petri nauigio?cum quo nisi procellam Turcorum euaserit, Christianam perire societatem oportet.

Cum quidam stirpe illustris (quem hic honoris gratia non nomino) læsæ maiestatis apud Regem delatus, facinorisque conuictus, & maiestatis reus esset; non sententia aliqua lata,non scripta (vt solet) sed tacito quodam iudicio in eum animaduertit, quo ex facto vtrumque prouidit, & ne scelus impunitum remaneret, & ne generosa reliqua domus vnius noxa notaretur infamia. XIX. *Modestè.*

19 Vitoldus Dux Lituaniæ, læsæ maiestatis reos, vrsorum pelle consutos, vrsis quos domi nutrierat,laniandos obiiciebat. Cuius seueritatem, ne dicam crudelitatem adeò prouinciales extimuerunt, vt cū dixisset aliquando duobus pluribúsve; *Ite ocyus, ac laqueo vos appendite*,nemo imperium recusauerit,auditusque nonnunquam sit,qui currens hortatus alios; *Eamus quàm properanter*, dixerit, *ne bilem domini commoueamus.*

Vrbem Neapolitanam pertinacissimè obduratā pugnando deniq; cū cepisset (Deus immortalis) quàm mansuetè,quàm humaniter,quā liberaliter sese gessit. Omniū primū milites à cæde ac direptione coërcuit, & præter primos impetus , quos continere facile non fuit, postea ciues omnes à militum furore & auaritia tutos incolumesque seruauit; ipsemet stricto ense perequitās ciuitatem, prospiciensq; nequis alteri vim aut contumeliam afferret. Dein his, quanquam victis, liberorum iura concessit; iniuriarum omnium,etiam Petri iucundissimi fratris cædis, oblitus. XX. *Clementer.*

20 Fridericus Imper. III. victis bello & vi captis Gunziensibus, LXXX. homines qui rerum nouarum ac rebellionis auctores fuerant , in patibulum sustulit: reliquæ multitudi vitam, libertatemque ac fortunas concessit.

Expugnata iam ciuitate Neapolitana, ne ex victoria (vt euenit) insolesceret exercitus, aut voluptatis resolueretur illecebris,confestim compositis rebus recto ad hostes itinere protendit, quorum dux erat Antonius Cadola vir strenuus, atque in armis clarus. Cumque eos in agro Capuano nactus esset prælio instructos intentosque, & numero & virtute plurimum exultantes, adhibito consilio Rex proponit, exquiritque an prælium sumendum sit néene? Cumque ex proceribus quidam suscipiendum omnino esse censuis- XXI. *Modestè. Fortiter. Clementer. Liberaliter.*

ſent, ſi Rex ipſe preſens non eſſet: *Ergo quod maximè*, inquit, *opitulari dimicantibus ſolet imperatoris præſentia nunc (ſi diis placet) offutura eſt.* Statim vt Deo bene iuuante prælium committerent, pronunciauit: mox intellecturi, nihil eorum fortunæ ac gloriæ obſtaturam præſentiam ſuam. Fit ergo prælium initio ſatis ancipiti Marte: demum poſtea Regis auſpiciis atq; virtute fuderunt ceperuntque hoſtes ferme omnes. In quibus Sfortiani equites propè innumeri capti, centuriones aliquot, ipſe Antonius dux item captus. Accedit huc omnibus ſeculis memoranda clementia. Antonium Cadolam exitialem & quaſi hæreditarium Regis hoſtem, cum omnes morte mulctandum eſſe cenſerent, ſaluum eſſe Rex iuſſit bonis & paternis & ſuis omnibus ſeruatum reſtitutumque. Nec Iacobi patris capitales inimicitias, nec Antonii filii peruicaciam iamdudum ſibi damnoſiſſimam vel paululū æſtimare viſus eſt. Milites præterea captiuos miſſos fecit, nonnullos etiam, quamuis hoſtes, muneribus, ob egregiam virtutem, tum integram famam, donauit, exornauitque. Qua manſuetudine & benignitate ipſos etiam hoſtes ſibi exinde beneuolos reddidit, vniuerſoq; pòſt hoc regno Neapolitano ab Aquila Marſorum vrbe ad Rhegium vſq; Brutiorum, ſine aduerſario in pace ſumma & tranquillitate potitus eſt.

21 Sequebamur Alphonſum ex hoſpitali beatæ Mariæ in arcem regiam: tum forte vir grandæuus vultu habituq; venerabilis, Regem ſalutat. Rex autem ad nos conuerſus, *Sic* inquit, *cum obſiderem hāc vrbem, ad me venit in caſtra, utq; bono animo eſſem iuſſit. Nam circa Calendas Iunias quæ tunc inſtarent, oppido potiturus eſſem: at non diu pòſt futurum eſſe anceps prælium ait, in quo dux exercitus caperetur; meq; commonuit, ne illi pugnæ intereſſem. Prima vaticinii ſermonis pars impleta eſt, quarto nonas Iunias Neapolim in poteſtatem redegi. Copiæ noſtræ atq; Antonii Cadolæ in agrum Capuanum conuenerunt, dubitatum eſt inter noſtros, an prælium committi oporteret, quòd vitæ noſtræ timerent. Quod cum ad me relatum eſt*, Ergo ea res vobis timorem, *inquam*, incutit, quę præſtare animum atq; audaciam debet. *Induiq; me mox galeam, & ſigno pugnæ dato in hoſtem me conuerti, fregi acies, vici profligaui, Antonium captiuum abduxi. Nec me vaticinium, nec trepidum conſiliu amicorum terruit.*

XXII. *Fortiter. Clementer. Gratè.*

Iſclam oppidum & milite & ſitu munitiſſimum pugnando cepit, captis licet grauiſſimis hoſtibus pepercit. In id poſtea ab eo colonia Catalanorum deducta, vt eſſent, qui cū virginibus aut viduis Iſclanis connubia copularent, ratus videlicet; id quod euenit, animos illorum deliniri & conciliari poſſe prole ſuſcepta. Cęterum in eadē expeditione & hoc contigit, quòd cum victoriæ compos Diis gratias acturus ad littus vbi templum extat Mariæ virginis traiiceret, ſcapha nimio pondere regiorum preſſa ſubſedit, Rege vſque ad vada ima dilapſo nauta penitus ignaro. Cumque ope Caietani cuiuſdam ab imo redditus fundo mox

do mox ſeſe collegiſſet, dixiſſe fertur, *Non paruo magna conſtare*, tum adiutori ipſi vltimæ ſortis homuncioni ſalarium annuum conſtituit, pariter & filiabus quinque dotem dedit.

22 Nandi ſolum peritia C. Cæſar Alphonſo ſuperior fuit, qui apud Alexandriam nauicula penè ſubmerſa, nando ad claſſem euaſit. Batauos hanc artem adeò calluiſſe conſtat, vt Rhenum, qui apud eos lautiſſimus eſt fluuius, armati tranarent: Illorum hodie locum Traiectenſes tenent, viri bellaces & nandi peritiores quam cæteri Rheni accolæ.

Vicaro Apuliæ oppido vi capto, cum miles à direptione continere nequiuiſſet, Rex veritus ne furor tandem baccharetur in mulierum pudicitiam, cóquiſitas cum cura in locum extra muros procul à militum impetu, congregauit ſeruandas, dato negocio Ioanni Alzino viro ampliſſimo: & inibi ſeruatas ſimul & illibatas cum præſidio, quo vellent, dimiſit; paucis pòſt diebus ad lares vnde digreſſæ erant, pro vt libitum fuit, tutò redituras. XXIII. *Conſtanter.*

23 *Seruatæ apud Vicarum mulieres Regis animum ab his alienum oſtendunt, quæ Picinini patrauit exercitus violatis apud Orbatellū nuptis ac virginibus.*

Erat in Samnio Rex haud procul Bouiano, cum ſubitò affertur hoſtes aduentare ac iam propè eſſe. Quo nuntio capere arma milites iuſſit, atque hoſtibus obuiam contendere: & iam ad tria millia paſſuum proceſſerat, inſtructus armatusque, tandem in campis apertis iuxta Troiam in conſpectu hoſtium conſedit. Stabant omnes loco edito ad prælium & ipſi parati inſtructique. Cæterum Rex conſultò haud mouebat, quo hoſtes in æquum pelliceret ad pugnam. Illi vero numero fidentes, quo ſanè præſtare videbantur, & colle deſcendunt, magnoque impetu pugnam incipiunt. Tum Regem exclamaſſe his auribus audiui (nam præſens aderam) *O milites victoria noſtra eſt*, oſtendens etiam à qua acie, à quóve loco victoria orietur. Mox & ipſe inter primos concitatiſſimè in hoſtem ferebatur. Crederes fortunam præſidem bellorum adeſſe Regi, qui tam exiguo momento hoſtes viros fortiſſimos fuderit fugaueritque, & in portam vſque ciuitatis perſecutus plurimos ceperit, nonnullos etiam in foſſam vrbis præcipites egerit. Regiorum vero nonnulli hoſtibus mixti vrbem introiere, qui ex porta altera ad Regem incolumes redierunt. In hac victoria permulta quidem obtigere memoratu digniſſima. Quidam eques cum intueretur Regem ornatu præter alios elegantiore, & quisnam eſſet ignoraret, ſtrictoque enſe, cum quis eſſet percunctaretur, atque ille, *Alphonſus Rex ſum*, etiam protenſo enſe reſpondiſſet, cótinuò ad Regis nomen procubuiſſe dicitur, atq; illius poteſtati reducto gladio ſeſe permiſiſſe. Illud quoq; ad memoriam huius victoriæ inſigne extitit, quod reuerſis militibus è prælio in caſtra, XXIV. *Fortiter. Religioſè.*

vnde profecti erant, cæteris (vt fit) corpora passim curantibus, ipse Rex non prius aliquid gustare, non prius exarmari aut puluerē extergi passus est, licet in mediis & æstatis & diei & Apuliç flagrantissimis caloribus, quam rem diuinam vel solenniter fecerit, Iesuque gratias pro victoria egerit armatus, ieiunus ac prælio defatigatus.

24 Præliis, quæ inter Christianos acta sunt, corpus obiicere non negauit Alphonsus. Non est igitur cur dubitemus contra Turcos eum arma sumpturum, & in tam gloriosam expeditionem iturum.

XXV. *Diligenter.* *Fortiter.*

Venabatur Rex in campis Leboriis, quos nunc Rosarū vocant, quo nuncius adfertur Riciū regiorum peditū ductorē ad hostes defecisse, ac per fraudē occupasse oppidum sancti Germani cū monte Cassinati, ac properare vicina omnia inuadere. Quo nūcio pmotus Rex dixisse fertur; *Facto, non consulto opus esse*, & vt erat venationi potius quàm armis instructus, contra proditorem iter instituit, cum his tantummodo purpuratis, qui secum venationis gratia conuenerant, Comitibus solum denuncians, *Vt qui eum diligeret properè sequeretur*, opinione celerius ad Riciū peruenit. Cuius vestigia vltrò subsecuti sunt regii milites, tantamq; trepidationem intulere proditori, vt facile intelligeres illum incœpti pœnituisse, pręuentū Regis ac regiorum celeritate incredibili. Necdum enim arcem quam Ianiculā vocant, maximū illius expeditionis aut magis proditionis munimentū expugnauerat. At quoniam quidem Rex acceperat ingens è Roma præsidiū Ricio propediē aduenturum, quo fretus Ricius in arce adhuc expugnanda perseueraret, nocte in montem peditatum Rex dimittit, admonitum; vti sub nomine Ricii turrim templi, quæ Riciano præsidio tenebatur, pertranseant, atque inde ad Ricium sub ipsum diei ortum descendant. Quo peracto Ricius auxiliares copias arbitratus, primo lætari, dein cum regios esse ex signis armisque cognosceret, anteaquam à Rege circumueniretur, fuga saluti consuluit, reliqui capti: quos sua consuetudine Rex omnes dimisit incolumes: oppidum quarto post die, quàm fraude captum à Ricio extiterat, recuperatum.

25 Albertus Marchio Brandenburgensis, (quem Teutonicum Achillem non ab re vocitant) cum accepisset Nurenbergenses octingentos equites, ac sex millia peditum in agrum eius prædatum misisse, apud fluuium, quem illi transmissuri erant, equitibus atque peditibus vno duntaxat loco vadabilem, sagittarios inter arbusta ducentos collocat, qui equitatu prætermisso pedites vado arceant. Ipse cum sexcentis equitibus proximo in nemore latitat, missisque hostium equitibus mox sese ostendit. Steterunt vtrinque acies, medio trecentorum fermè passuum interuallo, non sine trepidatione. Tum Marchio cum duobus comitibus apprehensa lancea in hostem aduolat: occurrunt totidem sibi ex hostibus viri fortes, Marchio equitem eum, qui sibi obuius fit, medium transfodit sternitque: at comitibus suis, ab iis cum quibus congressi fuerant prostratis, ipse in hostium turmam solus erumpit, mo-

pit, modò istum modò illum conficit, stragemque non paruam efficit donec ad signa peruadat. Illic centum in eum gladii nudantur, & cum punctim eum ferire circumuentum nequeant, ignari quisnam tanta auderet, cæsim rem agunt. Ille amplexatus vtroque brachio vexillum, *Nusquam honestius, quàm hic moriar*, inquit. Dum solus hæc agitat, reliquus exercitus suppetias occurrit, & versis in fugam hostibus semianimem Ducem apud vexillum comperit, confractum quassatumque. Hostes aut cæsi, aut capti: fuga admodum paucos eripuit. Pedites apud fluuium impediti, nulli interim visui fuerunt. Hæc nobis & Albertus ipse, cum simul è Noua ciuitate Austriæ Viennam pergeremus, & alii quàm plures viri graues retulerunt. Dignus Albertus, qui prope Alphonsum nomen habeat.

Equiti cuidam prodigo, quippe cui nulla pecunia esset satis, & à Rege quotidie multa postulanti, dixisse tandem fertur, *Amice si tibi plura dare indies perrexero, citius me pauperem, quàm te diuitem effecero. Hoc enim perinde esse, ac si piscinam perforatam implere quispiam contendat.* XXVI. *Frugaliter.*

26. * deest *.

Cum me legente aliquando Antonius Cathacensis antistes sese offerens efflagitaret, vt eum Regi commendarem, atq; ego idipsum iocando suaderem, quòd hic ille bonus esset, qui nunquam vidisset solem exorientem sobrius: Subridens Rex adiecit, *multo minus Hercule occidentem.* XXVII. *Iocosè.*

27 Presbyterum aiunt montis Calui, * qui Viennæ imminet, cum ad meridiem vsque bibisset, dormire vsque ad occasum solis consuesse; experrectum vero ad ecclesiam ire, ornare altaria, sacerdotalia vestimenta sumere, campanaque plebem citare, vt qui Missam celebrare instituisset. Interrogatus, *cur tam sero rem diuinam ageret*, versum ad occidentem, quem putabat orientem esse, percontantibus respondisse fertur, *Imò vero subdubito, an tam mane celebrare liceat ante exortum solem.* Nam quamuis aurora rutilat, non tamen diem dicere possumus, nisi solis orbis super nostrum horizontem eluceat. * *Des Kalenbergs.*

Cum peregre aduenienti Ferdinando patri obuiam progressus aduertisset, illum lectica vectari valetudine affectum; statim equo desiliit, vt patrem pedibus comitaretur, & si opus esset, humeris aut ceruice etiam sustolleret. Cumque è lectica pater itentidem cohortaretur, vt exemplo multorum procerum iuxtà adequitantium & ipse quoque equum ascenderet: *Alii*, inquit, *ô pater, quid ad se attineat, ipsi viderint. Ego quidem adduci ipse neutiquam potero, quin regem, quin patrem, & eundem aegrotum pedibus sequar.* XXVIII. *Piè. Reuerenter.*

28 Ludouicus Baioariæ dux, (quem Basileæ Nurenbergæque vidimus, struma ingenti gibboque deformem, at facundum & audacem) aduersus Ludouicum patrem impia arma mouit. Nec veritus est venerandum & grandæuum senem dura & miserabili obsidione vexare. Sed correptus vehementissima febre, ante diem suum obiit, quàm patrem possit in vincula conicere. Neque enim aduersus paterna iura impune cædit, neque longæui sunt super terram, qui parentes inhonorant. Infamis ætas nostra, quæ non Ludouicum hunc tantum, sed alterum Ludo-

uicum Franciæ Delphinum, & Alphonſum Caſtellæ primogenitum, in patres armatos vidit.

XXIX. *Modeſt.* Cum aliquis Alphonſum à nobilitate maximè laudaret, quòd rex eſſet, regis filius, regis nepos, regis frater. *At iſtiuſmodi Rex*, hominem interpellans dixit, *nihil eſſe quod in vita minoris ipſe duceret, quàm quòd ille tanti facere videretur. Laudem enim illam non ſuam, ſed maiorum ſuorum eſſe; quippe qui iuſtitia, moderatione, atque cum excellentia ſibi regnum comparaſſent, ſucceſſoribus quidem oneri regna cedere: & ita demum honori ſi virtute potius, quàm teſtamento illa ſuſcipiant. A ſe itaque (ſi qua modo extent) eliceret ornamenta; non à patribus iam mortuis extorqueret.*

29 Vdalricus Ciliæ Comes hoc anno cum Iohannem Hunniadem regni Hungariæ Gubernatorem alloqui cuperet, neque ille recuſaret, ſi apud ſe in caſtra conuenirent: *Non ego*, inquit, *princeps ex principe, altaq; familia natus ad te veniam nouum hominem, & noſtra demum ætate nobilitatum.* Cui Ioannes: *Non*, inquit, *tuis maioribus: ſed tibi me comparo. Quanquam neque illis cedam, qui pugnando pro Chriſtiana religione nobilitatus, maius lumen poſteritati meæ comparaui, quàm illi, qui ad te detulerunt. Atque vt in te Cilienſis Comitatus turpiter extinguitur, ita in me gloriosè Biſtricenſis exoritur.*

XXX. *Pie. Liberaliter.* Ferdinandus pater, & ipſe inclytus rex, moriens Alphonſum filium iis penè verbis allocutus fertur: *Optimè fili, quoniam regna quæcunque dum Deo placuit obtinui, ad te ætatis prærogatiua deferri & ſcio & volo, optarim eas modò terras quas ex parte Hiſpaniæ, quam Caſtellam vocitant, habemus, Ioanni fratri tuo, ſi modo per te liceat, relinquere. Quod ne moleſtè feras, abs te peto; & ſi pateris, etiam rogo*: Tum Alphonſus; *Ego mi pater ac domine, ſatis intelligo iſthæc regna & tua ferè omnia ad me quidem pertinere, ſed non aliter quam beneficio tuo. Idcirco & pluris ſemper voluntatem tuam & feci & facturus ſum, quàm ætatis priuilegium. Imò verò ſi pro tua ſingulari prudentia regnis ita demum proſpicis iri* *Pietas.* *conſultum, ſi Ioannem regni ſucceſſorem reliqueris, nihil recuſo, quin ipſum vel ad omnia inſtituas heredem: non aliter (mihi credas velim) voluntati per me tuæ vſque ad poſtremum ſpiritum parebitur, quàm diuinæ.* Tum Ferdinandus, *Macte*, inquit, *eſto pietate & obedientia fili*, & obortis lachrymis eum dimiſit.

30 Fridericus Marchio Brandenburgenſis, qui contra Bohemos ſub Iuliano legato Apoſtolico fortem & numeroſum duxit exercitum, conditurus teſtamentum, quatuor ad ſe filios euocauit, Iohãnem Fridericum, Albertum, & alterum Fridericum, Iohannemque, quòd is natu maior eſſet, in hunc fermè modum allocutus fertur: *Primus ego (vt noſti) dignitatem Electoratus Imperii in noſtram familiam a[...]i, cùm [e]ſſem Sigiſmundo Cæſari admodum familiaris. Nunc vocat me ſupprema neceſſitas, cura mihi eſt, ne tantum decus in domo noſtra vileſcat: Tibi (vt vi[...]o [...] quietis & tranquillitatis eſt vnicum ſtudium: in Electoratu præter curam & aſſiduum laborem nihil inuenias, eam ob cauſam, ſi tua voluntate id poſſum, Marchio-*

natum

natum Brandeburgensem, cui ius eligendi Cæsarem est concessum, Friderico, qui tibi ætate succedit, quique & vigilantior, & ad laboris durior quàm tu, videtur, testamento relinquam: tibi Voitlandiam, Alberto quicquid Franconici iuris possideo & alteri Friderico partem Misniæ. Cui Iohannes, *Existimaui, pater, ante hunc diem chariorem tibi multò quàm me Fridericum esse, cum illi sæpius blandirere, neque id ferre non ægrè potui: nunc sententiam muto. & te pater amo celoque, qui mihi otium, illi negotium suprema voluntate dimittis.* Ex Iohanne hoc nata est Ludouici Mantuani Marchionis vxor, inter matronas nostri seculi forma & moribus præclara.

Rogerius Pallantiæ Comes, amplissimo atque ornatissimo genere natus, impiger vir & manu promptus, Regem adiens, indicat in animo sibi esse Ioannem Castellæ Regem ipsius hostem, contempto omni periculo confodere, foreque id sibi, si modo annuat, factu perfacile. Cui Rex, *se non solum pro Castellæ atque Hispaniæ dominatu, sed ne pro totius quidem orbis imperio adipiscendo, tam crudele atque detestabile facinus permissurum. Dii melius, quàm vt eiusmodi scelere veram, ad quam tantopere elaboras, gloriam lædas atque contamines.* Simili quodam modo respondisse dicitur exuli Florentino, Cosmam Medicem occisurum pollicenti, si XXX. non amplius manu militum à Rege iuuaretur: *Longè quidem acriores atque ampliores hostes sese & habuisse & habere, quàm Cosmas esset, morte quorum vel regna consequi se quidem potuisse, sed abstinuisse à scelere: iret igitur, & referret pòst deinde meliora.* XXXI. Iust.

31 Iohannes Rudolphi Regis Bohemiæ filius, Alberto Romanorum Imperatori patruo suo subiratus, qui petenti sibi partem Austriæ non statim annueret, cùm non reperiret, qui prece vel pretio tantum Principem occisurum se promitteret, ad patruum sese contulit, & amicitiam vultu præferens, transeuntem apud Heluetios Rhenum consecutus, ibique eum pugione transfodit incautum. Mox pœnitentia ductus ad Clementem V. Rom. Pontificem, qui se absolueret, Auenionem perrexit. Ille tanti sceleris auctorem ad Henricum VII. Romanorum Imperatorem remisit. Imperator reum apud Pisas in monasterio Augustinensium agere pœnitentiam iussit. Ibique Ioannes mortuus ac sepultus est. Nos cum Leonoræ Augustæ à Friderico Cæsare obuiã missi essemus, tumulum eius inspeximus.

Cum familiares nonnulli rusticum quendam humi prostratum vuas edentem, digito velut ignauum demonstrarent Regi, *Vtinam mihi*, inquit, *istoc ocio comedere Dii dedissent.* XXXII. Modestè.

32 Bernardinum Senensem, quem cælicolarum numero Nicolaus V. Pontifex Maximus adscripsit, inter concionandum fabulam huiuscemodi referentem audiuimus. Accepit ex villico matrona quædam nobilis recentia cerasa, quæ in thalamum reclusa maiori ex parte cum ossibus ore auido atq; hianti manipulatim vorauit, coram viro deinde allatis, quæ residua fuerant, cerasis, priusquam vnum comederet, terq; quaterq; momordit, quærens ex villico quomodo cerasa ruri ederentur. Cui villicus, qui per rimulam vorantem feminam contemplatus esset, *Quo tu*, inquit, *mulier paulo antea sola in thalamo.* Erubuit mulier. Bernhardinus eos bene viuere aiebat, qui quæcunq; agerent, aperta Diis atq; hominibus esse putarent.

Acceperat aliquando à Maria singularis exempli vxore literas, XXXIII. Grati.

quas cum semel atque iterum attentissimè perlegisset, mox inquit, *Institueram olim nihil de vxore extra thalamum dicere, ne benedicens vxorius aut immodestior haberer. At nunc mihi prorsus mutandum consilium, & quiduis homines obloquantur, quocunque in triuio, cuique obuio, sine modo & modestia de vxoris virtute atque constantia, prædicandum.*

33 Puellam balneorum custodem perditè amauit Albertus Boiariæ dux, atque vt voti compos fieret, matrimonium promisit, cumque de laudibus mulierum se coram aliquando esset sermo, illamque nemo nominaret, aut inuidos purpuratos suos, aut formarum ignaros existimatores appellauit, qui vxorem suam præterissent. Verùm illam Ernestus Alberti pater apud Strubingam in Danubium præcipitauit. Indignum profectò facinus, ob noxam filii, puellam quæ nihil peccasset, neci datam. Verax igitur Strabo, qui potentiorum commoditatem ius esse definiuit.

XXXIV. *Mansuetè.* Proceres ac purpuratos suos à Rege reprehendi sæpe vidimus, quòd amicos paulo inferioris sortis *suos seruitores* appellarent, maximè cum huiusmodi homines à Philippo rege non seruitores, non subditos, vt ab istis, sed amicos & familiares appellatos lectitasset.

34 Cœnantibus apud Angliam Prælatis ac Baronibus, ministri flexis genibus officium suum faciunt. Apud Germanos, nec Imperatori nec Regi tantum adulationis impendunt, prandentque prandente domino famuli, duobus tribúsve, qui vel vina vel cibos apponant expectantibus.

XXXV. *Liberaliter. Grauiter.* Aluarum Lunam ab Alphonso, cuius erat popularis, magnopere postulantem vt se ad Ioannem Castellæ Regem proficisci cupientem illi commendatitiis literis notum & commendatum faceret, non modo notum & commendatum, verum adeò gratum & acceptum Rex fecit, vt breui ad amplissimas fortunas, & Ioannis vsque intimam gratiam euaserit. Sed benefactoris, & beneficii immemor. Idcircò cum ingratitudinis aliquando Aluarus argueretur, Alphonsum ita dixisse accepimus, *Compertum se quidem habere, ingenti beneficio non nisi ingenti ingratitudine satisfieri. Propterea plures quidem esse qui darent, sed qui dare scirent, esse perpaucos. Nec ideo pigrius dandum aut benefaciendum esse.*

35 Audiui Fridericum Imp. sæpenumero dicentem, Ex iis, *quibus extulisset, quàm paucissimos gratos fuisse: Idque muneribus suis datum esse, vt ex fidelibus infideles fierent.*

XXXVI. *Iustè.* Quanta fuerit Alphonsi existimatio & gloria, hinc facile deprehendas, quòd nonnunquam etiam ab inimicis, & etiam eisdem viris spectatissimis fuerit laudibus celebratus. Nicolaus Cardinalis Capuensis Regi grauis inimicus, Florentiæ cum esset, & conferret sese per id temporis in regnum Neapolitanum contra Alphonsum præclarissimus copiarum ductor Franciscus Sphortia, & ob hoc aliqui dicerent, iam Alphonso Regi non cum Renato negocium fore, ita respondit, *Imò me hercle intelliget nunc demum Sphortia cum alio sibi,*

quàm

quàm cum Philippo Maria rem gerendam esse. Hæc cum audita retulisset Regi Malphiatus, *Si mei omnes,* inquit, *ita de me sentiant, vt inimicus hic & sentit & prædicat, bello certè me nequaquam lacesserent, sed quo mihi nihil antiquius est, sinerent pace me atque otio perfrui.*

36 Aduersus Albertum Marchionem Brandenburgensem omnes superioris Germaniæ ciuitates adiuuandos Nurenburgenses statuerunt, quibus ille bellum indixerat. Cumq; numerosus exercitus instrueretur, interrogauit quispiam, vt quid tantum populum aduersus vnum principem & eum quidem non ditissimum armarent. Cui vnus ex primoribus ciuitatum, *Desipis,* inquit, *homo. In Alberti namq; astutia & fortitudine omnium Germaniæ principum vires opesq; continentur.* Neque vana vox fuit. Septem & decem principes in partem suam traxit Albertus, ciuitatesque multis incommodis attritas petere pacem coëgit.

Cum Regiæ bibliothecæ custos obserata libraria abesset, Rex ipse legendi percupidus, forcipe seram excuteret, interuenit Matthæus Siculus eximiæ ille sanctitatis sacerdos, dixitque, *Tune id, Rex magne, manibus propriis, tune?* Cui Rex subridens, *Quæso,* inquit, *vir sancte, nunquid Deus & natura nequicquam Regibus manus dederunt?* XXXVII. *Vrbanè.*

37 Henricus Goriciæ comes, absente qui cellæ vinariæ claues haberet, sitibundus ostium calcibus inuasit, arguenteque eum Phœbo de Turri, qui secum nutritus erat, vtque se sineret frangere repagulum orante; *Tace,* inquit, *me sitis, non te cruciat.*

Ioannes Castricurti dominus, natione Gallus, genere, autoritate, factis, eques insignis, ab Henrico Britanniæ rege prælio captus, carcere asseruatus est, donec fide data grandi admodum sese pecunia redempturum repromitteret. Cumque is promissis haud sufficiens, Reges ac principes Europæ omnes adiisset, vti ab his ea pecunia, aut saltem quantulacunque releuaretur, vnum denique ex omnibus Alphonsum reperit, qui eum tota illa quantumuis iniquâ pecuniâ, & à fide obligata liberaret, & à captiuitate redimeret. XXXVIII. *Liberaliter.*

38 A Turcis modo captos redimere Christianos non liberale modo, sed pium opus sanctumque fuerit, quod tunc futurum sperauerim, si classem vt promittit aduersus Mahumetem Alphonsus duxerit, simulque terrestres copiæ in Turcos ierint.

Alphonso adhuc adolescente, post sanctissimi ac optimi patris obitum regnorum ac publicæ salutis gubernacula suscipiente, accidit vti cuiusdam seruula ex domino prægnans facta, mox patiens ad libertatem proclamaret, ex lege Hispaniensi, quæ est, *Serua quæ ex Domino liberos susceperit, libera esto.* Dominus autem veritus seruam amittere, negabat ex se filium procreatum, ratus hoc pacto se seruam non amissurum, & filium simul habiturum. At illa acrius instare, & natum ex domino conceptum asseuerare. Erat sanè difficilis probatio & coniectura veritatis. Sed in ancipiti, Alphonsi prudentia iam inde ab XXXIX. *Iuste. Sagaciter.*

adolescentia statim resplenduit. Etenim decreuit, *vt infans sub licitatione venundaretur.* Cumque & vni alicui, qui maius precium attulisset, infans tradi assimularetur; pater pietate victus à lachrymis temperare nequiuit, & suum esse filium fassus est. Quare Rex & patri filium, & seruæ libertatem non cunctanter adiudicauit.

39 Homini agresti, qui ad nundinas Nouæ ciuitatis Austriæ venale triticum aduexerat, dum parumper ad caupones diuertisset, equorum alter ex biga subtractus est, furti querela ad Fridericum imperatorem defertur. Iubetur actor reum nomināre. Is sibi de furto constare ait, in ciuitate regia facto, furē ignorare, hærentibus in coniectura consiliariis, si forte in suspicionem quisquam veniret. *Mirum,* inquit Fridericus; *cur etiam alterum equum homo non perdidit, tot sunt hodie in hac vrbe equites, qui equis indigent.* Tum rusticus, equa est altera, ô Cæsar, quæ belligerantibus nulli est vsui. *Atqui ergo,* ait Cæsar, *eam inscidito, atque in omnes vrbis viculos discurrito, subtractus equus in aliquo stabulo latitat, qui cum iugalem equam senserit, mox hinnitum dabit.* Paruit homo, eoque pacto furtum compertum agrestis, quod suum erat recuperauit, fur pœnas dedit. Omnes igitur qui iuri dicendo præsunt, non tantum iustos, sed etiam prudentes & peracutos esse. Zischa Bohemus, qui cœtus Thaboritarum ductauit exercitum, villam quandam in Austria cum diripuisset, neque inuenisset armenta (nam illa in insulam Danubio cinctam transuecta fuerant) conquisitis à proximis villis duobus vitulis totidemque suibus, eos è regione insulæ tam diu verberari iussit, donec mugitum, grunnitum, vaccæ suesque exaudientes ad ripam suam tranarunt, quibus interceptis, prædam non modicam abduxit: atque ita docuit ingenio non minus quam viribus res militares geri.

XL. *Facetè.* Ioannes Calaguritanus eques regius, vt primum ab hostibus carcere dimissus est, Regē adiit, & liberalitate illius nonnihil abusus, innumeras propè res simul & poposcit, & impetrauit, à quo Rex vix tandem diuulsus, *Mentior,* inquit, *ni inter tam multa & varia quæ petebat, timuerim ne vxorem etiam ipsam à me deposceret eques meus.*

40 Iacobus Archiepiscopus Treuerensis Princeps Elector, vir industrius ac magni consilii, sed multum cupidus, & ad extollendam Ecclesiæ suæ potentiam nimis attentus, anno abhinc secundo, Fridericum Cæsarem apud Nouam ciuitatem cùm adiisset, & alia atque alia petens impetrasset, pluraque petendo instaret: *Si non facis,* inquit Imperator, *petendi finem, ego negandi principium inueniam.*

XLI. *Grauiter.* Cum inter sophistas aliquando de Regum felicitate disceptatio esset, & suum quisque iudicium afferret in medium, interuenit Rex, &, *Quid ô amici,* inquit, *in id tantopere laboratis. Num putatis hoc ipsum quale sit, aut plenius, excogitari, aut luculentius exprimi posse, quàm prodiderit vir diuinæ sapientiæ Augustinus?* Mox illius verba ipsa (vt erat singulari memoria) pronunciauit. Quæ quidem ego commentariolis ideo intexui, quòd digna mihi visa sunt, quæ Reges & principes terrarum vniuersi memoria quidem & teneant, & obseruent. Reges vtique felices Augustinus existimat, *si iustè imperant, si inter linguas*

linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium, non extolluntur: sed se homines esse meminerunt. Si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum, maiestatis eius famulam faciunt. Si Deum timent, diligunt, & colunt; si plus amant illud regnum, vbi non timent habere consortes, si tardius vindicant, facile ignoscunt, si eandem vindictam pro necessitate regendæ tuendæque reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis exerunt; si eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent; si quod asperè coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate & beneficiorum largitate compensant; si luxuria tanto est castigatior, quanto posset esse liberior. Si malunt cupiditatibus prauis quam quibuslibet gentibus imperare. Et si hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ: si pro suis peccatis humilitatis, & miserationis, & orationis sacrificium, Deo suo vero immolare non negligunt. Tales Christianos Imperatores ac Reges dicimus esse felices.

41 Theodoricus Coloniensis Ecclesiæ Pontifex, prudentia & autoritate inter Electores Imperii facile princeps, quærenti Sigismundo Cæsari, quo nam pacto felicitatem consequi posset, *Inter mortales*, ait, *frustra requiris.* Petenti rursum, ad cœlestem illam quo itinere pergeret: *Rectà*, inquit: instanti tertiò, quid agens rectà vaderet, *si vitam tuam ita institueris duxerisque*, respondit, *vt facturum te promisisti, dum calculus, aut podagra, siue alia valetudo acrius te oppressit.*

Dum Andreæ Panormitano viro & genere & iuris peritia claro, se neque cognitum neque visum vnquam Rex accepisset, continuo illum velut fortunatum hominem & videre & nosse vehementer voluit. *XLII. Humaniter.*

42 Vellem audisse quidnam dixerit Andreas, vbi Panormum rediit viso Rege. Ego cum hinc abiero, si quis me roget, quæ apud Neapolim, scilicet, digna memoratu viderim, quatuor inprimis respondebo. Neapolim, scilicet, splendidam vrbem, salubritate aëris, portu, templis, ædibus, agris, equis armisque apud Italos nulli secundam. Arcem regiam, quam Nouam vocant, amplitudine formaque cunctas superantem. Multasque raræ magnitudinis naues, quæque maria sulcasse aliquando memorentur. Et cui talia quadrent, Alphonsum Regem adiiciam. Et quinto loco, si quis audire petierit, sacrum illum diui Ianuarii cruorem, quem modò concretum, modo liquatum ostendunt, quamuis ante annos mille ducentos pro Christi nomine sit effusus. Postremo Baiarum, Cumarumque, & Puteolorum rudera subnectam, quæ Romanam videntur æquare ruinam.

Alphonsum nonnunquam solum absq; comitantium pompa incedentem vidimus. Cum ob hoc à plerisq; argueretur, suaderetúrque vt more aliorum principũ & ipse armatorum manu stipatus graderetur. Exhorruisse consilium visus est, atq; dixisse, *Se quidem minimè solum, vt isti crederent, sed innocentia associatum vadere: neq; esse quod beneuolentia ciuium fretus quippiam extimescat.* *XLIII. Fidenter.*

43 Alberto Austriæ Duci, qui mortuo Sigismundo Cæsare, cuius erat gener, regnum Hungariæ ac Bohemiæ cum Romano Imperio suscepit, cùm principes amore ciuium tutos esse oportere, idque solam innocentiam præstare diceret; *Et fida custodia*, respondit socer, *infortunium excludit.*

XLIV. *Grauiter.* Perquam difficilem rem principatum sibi videri vel eo maxime dicebat, quòd principum vita popularibus exemplo cedat, illis quidem ad vitia quàm ad virtutes procliuioribus. Quapropter principibus non modo sua causa à peccato abstinendum esse, sed multo etiam magis ne sua vitia infundantur in ciues suos. Nam veluti ad solis motum, ita populares semper in principum mores verti atque formari.

44 Milites, qui otii gratia curiam sequerentur, semper in negocio futuros aiebat Syluester Chiemensis episcopus, nisi sese tandem vel cum periculo capitis inde amouerent.

XLV. *Fortiter.* Inter Ioannam reginam & Alphonsum suborta discordia, complures tum arcibus præfecti, tum præsides terrarum ac principes adeuntes Regem, polliciti sunt penè vniuersum Neapolitanum regnum, regina inscia sese dedituros. Quibus Rex habere se quidem gratias respondit: sed pluris famã & honorem suum quàm regnum quamlibet magnum æstimare: suum quidem consilium & fuisse & esse, regnum non dolo aut iniuria sed legitimo iure, cumque & Deo & Ioannæ matri placuisset, possidere. Quòd si reginę in se voluntas immutata videatur, id mollitudini & fragilitati fœminarum assignandum esse. Contrà se & virum & regem esse meminisse oportere.

45 Alberto Ladislai patre vita functo, & Bohemi & Hungari Fridericum Cæsarem sibi Regem petiuerunt. Quibus ille, *absit à me*, inquit, *scelus hoc, vt patrueli meo paternam hæreditatem auferam:* Fridericus quoque Marchio Brandenburgensis princeps Elector à Polonis in regem vocatus, *Casimirum*, inquit, *habetis mortui regis fratrem, hunc requirite, quem successio regem fecit. Quem si fortasse tædet regnare, ad me redite.* Recusauit & Albertus Bauariæ dux oblatum Boemiæ regnum, ne Ladislaum excluderet. Hanc nos temporibus nostris apud Germanos principes moderationem & vidimus, & memoria dignam censuimus.

XLVI. *Iuste.* Præsides prouinciarum ac iudices omnes à Rege præmonitos scimus, *ne quod decretum aut rescriptum à se factum seruarent, nisi quod iure tantum & honestate niteretur.* Interdum enim aut importunitate postulantium, aut ignoratione rei fieri, vt quidpiam contra iuris sanctionem emanet, propterea quòd illud custodiendo ciues suos offendant, non intelligentes ita seipsos pariter offendere, atque in semet impios & crudeles esse.

46 Quærenti Leonardo Beneuolenti collega nostro, quo iure Picininus agrum Senensem inuasisset, *Militari*, inquit, Buccardus Comes. *Nam bello lacessere omnes licet, quibus obligati non sumus.* At hoc ius summa iniustitia est. Decet itaq; regem, qui nihil præter rationẽ & iustitiam prouinciarũ præsides etiam se iubente vult facere, Picininum prorsus deserere, bonarum legum & totius æquitatis euersorem.

Cum

Cum argueretur aliquando Rex, quòd mitis esset ac lenis nimis, vt qui nonnunquam etiam iis, qui vel grauiter in ipsum deliquissent, ignosceret. Se quidem paratum velle esse dicebat, Deo immortali, si ad calculum vocetur, oues quas in tutelam ab eo suscepisset, annumerare; & si illas repetat, restituere incolumes omnes posse. *XLVII. Clementer.*

47 Friderico Romanorum Imperatori Amadeus dux Sabaudiæ, quem clerus apud Basileam congregatus Eugenio quarto à summo pontificatu deposito, in illius locum suffecerat, Felicemque papam quintum vocauerat, filiam quam domi habebat viduam iuuenem & forma præstantem in matrimonium obtulit. Simulque dotis nomine auri numûm ducenta millia, si Eugenio relicto Petri successorem appellaret. Horruit Cæsar, minimeque sacramento suo Ecclesiæ sacramenta fœdare voluit. Atque ad suos conuersus, *Vendere*, inquit, *alii pontificalia solent, hic libenter emat, si reperiat venditorem.*

Iustitia dicebat se quidem bonis gratum esse, at clementia etiam malis. *XLVIII. Grauiter.*

48 Cum accusassent purpurati apud Sigismundum maledicentiam Germanicæ multitudinis, quæ de suo principe passim obloqueretur. Subridens imperator: *An vobis*, inquit, *graue videtur illos male loqui, cum nos male agamus.* Cumque quidam se ciuem Budensem diceret, sibique tanquam membro parcendum arbitraretur. *Et putrida*, inquit Sigismundus, *si sit mea manus, abscindatur.* At à Deo inquit Fridericus imperator, cum oro, *misericordiam peto, non iustitiam.* Cur igitur me subditis clementem atq; misericordem non exhibeam?

Qui nimis lenem & mansuetum principem quererentur, expectandum iis esse dicebat, vt vt si ac leones quandoque regnarent. Hominis sanè clementiam esse beluarum feritatem. *XLIX. Clementer.*

49 Qui duri atque immites essent principes, his aiebat Fridericus Cæsar, mortem nimis extimescendam esse. Nam quales se dum vixerunt aliis præstitere, tales, cum moriantur, in se iudices inuenturi essent.

Turpe nimium valde esse dicebat, eum aliis imperare, qui sibimet dominari nesciret. *L. Grauiter.*

50 Quas non didicerunt artes recusant omnes exercere: imperare, quæ est ars artium omniumque difficillima, nemo recusat. Interrogatus Rudolphus Cæsar, qui primus in familiam Austriæ traduxit imperium, cur ita fieret. *Non mirum*, inquit, *stultos putant, qui regnare nesciant, stultum autem sese nemo iudicat.*

Perabsurdum sibi videri dicebat, *Reges ab aliis regi, & Duces ab aliis duci.* *LI. Modeste.*

51 Michaël Pfullendorfius Secretarius Friderici Cæsaris, qui in ecclesia mea Senensi sepultus est, inter cætera quæ miraretur id potissimum esse dicebat. Quòd animalia rationis expertia, nullum se supra regem ferrent nisi cæteris virtute præstaret. Homines vero qui se rationales dicant, iis sæpe principibus obediere, qui brutis quadrupedibus stultiores essent.

Pueros, quos ad studia literarum aptos, ac probe natos intueretur, verum paupertate ac inopia ad gloriam aspirare non posse, vt quis *LII. Piè Liberaliter.*

que vel ad hanc, vel ad illam disciplinam idoneus videbatur, partim rhetoribus, partim philosophis erudiendos commendabat, fouebatque sumptum illis affatim ministrans. Simili pietate ac liberalitate vsus in Theologos pauperes. Nam cum ad doctoratum ascendere nisi magnis sumptibus (eo quòd corrupta & deprauata sint omnia) non possent, eos & pecunia iuuare, & præsentia condecorare non destitit.

52 Duos pueros miserat Alphonsus Parisios, vt literas discerent. Eramus in Arce noua apud eum, cum Iohannes Solerius illorum epistolas Regi redderet. Vidimus eum miro modo gestientem, postquam scriptis puerorum lectis proficere eos cognouit.

LIII. *Modestè.* Pulchritudinis amator cum esset, nimirum iuxta Chrysippi sententiam, putabat pulchritudinem esse virtutis florem, nunquam licentia, aut contumelia in ætatem alicuius est vsus.

53 Bartholomæus Capranus Mediolanensis Ecclesiæ antistes, idcirco se ministros forma præstantes quæsiuisse dicebat, quoniam turpes animi turpia corpora incolerent, improbitatem autem in egregia forma perraro compertam esse.

LIV. *Vrbanè.* Interrogatus aliquando Rex, quid sibi sine vtilitate honor esse videretur; *Consimile id sibi videri*, respondit, *vt si peracutum & peracre quis cernat, sed offensus in caligine aberret in tenebris.*

54 Interrogatus Sigismundus Imperator, cur apud liberas ciuitates, peculatus crimen adeò frequens inueniretur; *Idcirco*, respondit, *quòd nudos honores ciuibus commendant, populus autem ad lucrum inhiat.*

LV. *Sapienter.* Audiuimus Regem de benignitate naturæ disserentem dicere, quòd etiam in vitiis quodam modo prospexit generi humano. Nam pro scortatione matrimonium permisit, pro inuidentia æmulationem, pro acidia siue ociositate laxamentum, pro gula & ventris ingluuione cibatum, pro auaritia parsimoniam, pro ira admonitionem increpationemque, pro superbia vero nihil omnino indulsisset, vt intelligant superbi non solum hominibus se, sed etiam Deo & naturæ infestos ac detestabiles esse.

55 *Neque stultis*, inquit Fridericus Cæsar, *delectari possum, neque superbis esse amicus.*

LVI. *Facetè.* Cum aliquando impudentius saltantem aspexisset, fertur ad circumstantes dixisse: *Attendite, Sibylla quidem euestigio edet oraculum.*

56 Leonoram Augustam è Pisis iubente Friderico Cæsare Senas deducebamus, ante diem cinerum, cum solent insanire populi, offendimus apud S. Miniatum Teutonicum, in agro Florentino choream agrestium puellarum, quæ sæpe saltantes nudarent genua crusaq; ostentarent. Quod cum animaduertisset Imperator; *Eamus*, inquit, *meretricum hic ludus est, non virginum.*

LVII. *Clementer.* Non tam quod hostes vincere & sciret & posset, gloriabatur, quàm

quàm quod victis consulere didicisset. Illud quidem fortunæ interdũ
munus esse, hoc semper suum.

57 Victis in Hungaria Gunziensibus; *Magnum*, inquit Fridericus Imperator:
actum est opus: nunc maius restat, vt scilicet vincamus nosmet ipsos, atque auaritiæ, &
vlciscendi cupiditati frenos imponamus.

Cum aliquis Regi diceret, caue ne tua hæc misericordia, lenitu- LVIII.
do, & placabilitas in perniciem cedat. *Imò vero*, inquit, *multa mihi per-* *Grauiter.*
ferenda sunt, ne in inuidiam cadam.

58 *Seuerum*, inquit Cæsar Rudolphus, *& immitem fuisse me aliquando pœni-*
tuit, lenem ac placabilem nunquam.

Mansuetos & misericordes amplecti & honestare consueuit: E LIX.
contrario superbos velut Diis & hominibus exosos horrere *Rectè.*

59 Beatos esse in terris Reges aiebat Sigismundus Imperator, si exclusis su-
perbis, mansuetudinis humanitatisq; cultores in curiam adsciscerent.

Arguebatur aliquando Rex, quòd cum à saltatione tantopere LX.
ipse abhorreret, in aduentu tamen Friderici Imperatoris tertii cum i- *Comiter.*
pso Imperatore & Leonora Augusta saltitare propalàm visus esset. Et
is quidem cum argueretur, eum se expurgantem audiuimus, non vo-
luptatis gratia se saltare, imò, id sibi nequaquam probari, cæterum in
honorem Imperatoris & Augustæ id factum à se. Plurimum namque
referre, quemadmodum res fiat. Siquidem luxuriæ aut lasciuiæ causa
qui saltet, stultum aut ebrium videri: sin honoris alicuius gratia, repre-
hensionem effugere. Neque esse insanum, qui cum magnis viris semel
insaniat.

60 Bernhardus monachorum pater, abstinentiæ præcipuus magister, cum ali-
quando, venientibus hospitibus, extra ordinem cœnasset, idq; discipuli crimini da-
rent, *Non ego* inquit, *sed charitas bibit editq;.*

Illud vel notabile præcipuè inter Regis facinora fuerit, quòd LXI.
quotquot viros aut re bellica aut literaria illustres acceperit, ad sese *Sapienter.*
penè omnes euocauerit, euocatos amplissimis honoribus, magnifi- *Liberaliter.*
centissimisque muneribus ornarit. *Bracchium* sui temporis præstan- *Bracchius.*
tissimum copiarum ducem, arctè familiariterque dilexit, quem ado-
lescens adhuc in disciplina militari, magistri loco & habuit & obser-
uauit. Is est qui rei bellicæ gloriam apud Italos penè extinctam, ad-
mirabili arte ac industria reuocauit atq; auctiorẽ fecit. Post hunc *Ni-* *Picininus.*
colao Picinino, ex Bracchiana disciplina, sed nec inferioris gloriæ viro
cõiunctissimè & amantissimè vsus est. Inter doctrina verò & ingenio
insignes, amplexus præcipuè *Bartholomæum Facium*, suauis & priscæ *B. Facius.*
eloquentiæ virum, à quo quidem & res à se gestas perscribi cupidè ap-
petiuit: maxime eius libri suauitate allectus, quẽ de vitæ felicitate Regi
ipsi antea dictauerat: *Georgium Trapezuntium* Græcis & Latinis literis *G. Trape-*
zuntius.

virum eruditissimum inter familiares, quos cũ admiratione diligebat, admisit: dato negocio vt Aristotelis de Naturali Historia libros omnes è Græco in Latinum traduceret, quoniam illi qui prius ab nescio quo traducti extabant, propter asperitatem barbariemque orationis haud satis probabantur. *L. Aretinus.* *Leonardum* vero *Aretinum* ætatis suæ disertissimum, quò minus apud se habuerit, non voluntas, sed valetudo illius atque ætas ingrauescens impedimento fuit. At epistolæ quæ vltro citroque extant & extabunt, diu mutui & amoris & officii documenta præstabunt. *Poggius.* *Poggium Florentinum* virum illustrem, ob Cyropædiam suo iussu è Græco conuersam non solum beneuolentia complexus est, sed honoribus & opulentissimis donis ornauit. Sileo Theologos, quos ex vltimis terrarum regionibus accersitos legens ac disputans quotidie audierit, & quorum nonnullos postmodum ad summas dignitates, mortalium omnium gratissimus, euexerit. Prætereo philosophos, medicos, musicos, iurisconsultos, quibus regia omnis redundat, omnes à Rege honestatos, omnes locupletiores effectos. Nam si singilatim eorum, non dico virtutes atque præconia, sed nomina duntaxat nuda percensueris, hæc ipsa nimirum sibi ingens volumen exposcere videbuntur. Igitur singulos in alios locos reiiciamus, & tertium nunc Alphonsi dictorum atq; factorum librum aggrediamur.

61 Viros & armis & literis claros non solum vocauit ad se Alphonsus, quorum consilio in administrandis rebus vteretur, iisque abundè prouidit; verum ex curia sua tanquam ex officina virorum præstantium, & copiarum duces egregios, & venerabiles Ecclesiarum antistites emisit. Nam & Calistum tertium, qui modò summi pontificatus cathedram regit, ex Alphonsi schola ad Cardinalatus honorem maximus pontifex Eugenius accersiuit.

Libri secundi finis.

ANT.

ANT. PANORMITÆ DE DICTIS ET FACTIS ALphonſi Aragonum Regis Liber tertius.

PROOEMIVM.



REPETENTI mihi quotidie Alphonſi dicta atque facta memoratu digna, tā multa ac præclara ſeſe exhibent atq; oſtendunt, vt tum eorum copia penè obruar, tum magnitudine planè obſtupeſcam. Nam per immortalem Deum, quale illud eſt quod nuper ab eo dictum audiuimus. Nam cum quidam ab eo ſciſcitaretur, quomodo in tot diuitiis pauper effici poſſet. Effici poſſe reſpondit, *ſi ſapientia venditarentur*. Quo ex dicto vtique planum fecit pluris ſe rerum cognitionem, quàm regna, aut diuitias æſtimare. Alexandrum Macedonem in hoc, vt in pleriſque quodam modo imitatus, qui laudem ex ſapientia potius, quàm ex armis quærere concupiuerit. His accedit quòd ſapientiam *filiam Dei* appellare ſolitus fuit, eamq; ſolam rerum omnium eſſe immortalem, atque ex omni genere animantium ſoli homini eſſe conceſſam. Qua potiſſimum ex re (vti ego arbitror) Ioannem Eſernitanum tum omni virtute praſtantiſſimum, tum acerrimi iudicii virum de rege ſolitum dicere accepimus: *Alphonſum ſi rex non fuiſſet, philoſophum & quidem eximium futurum fuiſſe.* Ad ſapientiam enim vnicè natum eſſe ſibi videri. Neque enim inter ardua (vt ſunt plerumque regum negotia) vnquam ſapientiæ ſtudium in-

termittere, quotidieq́; Poëtas, Philosophos, Theologos, aut legentes, aut disputantes, aut orantes audire, atq; adeò in diuinis maxime disciplinis doctum & clarum euasisse: vt in rege aliquid etiam præter regem inesse videretur, quod demirari posses, tum ad felicitatem & veri cognitionem tibi excerpere. Ego præterea ita explanasse difficillima pleraq; regem scio, vt quæ viderentur aut haberentur obscura, luce, vt aiunt, meridiana clariora redderet. Ideóque Hispanos cõterraneos suos amasse & respexisse, quod epistolas Senecæ ex Latino in patrium sermonem verterunt, quò diuini illius libri cognitio, etiam literarum rudes non lateret: Sed & (quod dictum, & sæpius dicendum) sapientes viros incredibili beneuolentia atq; obseruantia coluit. Quare doctos & sapientes præcipuè monitos & oratos velim, vti quisque pro viribus gratiam referat, meamq́; imbecillitatem sua eloquentia atque opera sustentent suffulciantq́;, neque diuini huius viri, deq́ue eis tam bene meriti facta aut dicta perire sinant. Sed celebrent potius & certatim laudibus efferant, haud inscii ingratis pœnam à veteribus institutam esse, vt hi murenis vorandi discerpendiq́; viui obiicerentur.

ÆNEAS SYLVIVS, IN LIBRI TERTII PROOEMIVM.

NEgat Ioannes Esernitanus philosophum esse Alphonsum, *quia Rex est.* Ego idcirco philosophum esse affirmo, quia regno potitur. Nam philosophi mea sententia, non qui facienda dicunt, sed qui dicenda faciunt, habendi sunt. Qui quum peccare possint, nõ peccant, & (quemadmodum de Alphonso refert) in omnium rerum licentia, sibi ipsis frenum iniiciunt. Abstinentiam in vita priuata ipsa necessitas parit.

ALPHON-

ALPHONSI REGIS DICTORVM ET FACTORVM

LIBER TERTIVS.



Ptimos consiliarios esse mortuos dicebat, libros, videlicet, designans, à quibus sine metu, sine gratia, quæ nosse cuperet, fideliter audiret. Caput I. Grauiter.

1 Iuliano Cardinali sancti Angeli, qui Basiliensi concilio præfuit, libros veterum lectitanti, cum diceret Oddo de variis, *Quid tu hic inter mortuos latitas, ad nos tandem qui viuimus exi. Imò*, inquit, *in fama viuunt, tu neq; nomine, neq; re viuis.*

Si Romanis temporibus natus esset, se constructurum fuisse dicebat contra curiam Ioui positorio templum, quo patres conscripti sententiam dicturi, antequam curiam ingrederentur, odia atq; alias animi pestes deponerét. Plerumq; etenim fieri, vti regna atq; respublicæ priuatorum contentionibus atq; affectionibus pessundentur. II. Grauiter. Iuste. Iupiter positorius.

2 Cum vocarent in curiam senatores, Fridericus Imperator, *Vtinam*, inquit, *duas res consiliarii mei in palatii vestibulo deponerent. Sic enim & ipsi rectè consulerent, & mihi inter consilia diiudicare facillimum esset.* Interrogatus quæ nam res illæ essent, *Simulatio & dissimulatio*, respondit.

Dicenti cuidam id decere regem, non solum quæ permisisset, sed quæ capite annuisset, etiam præstare debere. Respondit, *rectè sanè, verum decere quoq; petentes, vt iusta & consentanea à regibus postulent.* III. Iuste. Grauiter.

3 Exigenti promissa veterano militi cum diceret Sigismundus Imperator, *At immoderata fuit petitio tua*: Respondit miles, *Poteras negare cum peterem. Nunc sine turpitudine quod promissum est, rescindere non poteris.* Tum Sigismundus, *si ex duobus alterum me ferre oportet, leuius rerum quàm famæ iacturam subibo.*

Diuites sine cultu literarum *aureum vellus* appellare solitus fuit. IV. Grauiter.

4 Ladislaus Rex Hungariæ ac Bohemiæ quamuis adhuc puer, cum esset Romæ, non videri sibi ait homines, qui literas ignorarent.

Cum essent qui apud Regem causam bestiarum contra homines defenderent, & modo turturis castitatem, modo cornicis, quæ mortuo compare nouem hominum ætates vidua perduret, modo formicarum prouidentiam, modo canum sagacitatem, modo ciconiarum pietatem, modo apum in regem obseruantiam, & id genus multa pro brutis animalibus afferret in medium, Regem ita respondentem audiuimus: *Siue id brutis inclinatione naturæ, siue Dei dono datum sit, se non alia causa datum ac concessum esse existimare, quàm vt homines* V. Sapienter.

turpiter nequiterq́; viuentes, erubeſcant à brutis & à rationis expertibus ſuperari.

5 Barbaræ quæ Sigiſmundi Cæſaris vxor fuit, ac fatis functo vidua ſuperſtitit, cum ſibi diceret aliquis imitandum turturis exemplum, quæ mortuo marito perpetuam caſtitatem ſeruaret; *Si me ratione carentes imitari volucres iubes, cur non columbas potius paſſeresq́; proponis.*

VI. Facetè.

Cum aliquando Rex Ludouicum Podium Putium appellatum in veſte lugubri, fronte ſubtriſtem intueretur, & quid ſibi vellet luctus ille ſciſcitaretur: ac Putius ob vxorem mortuam mœſtum ſe eſſe reſpondiſſet. Adiecit, *lætum potius atque hilarem eſſe eum conuenire, ob illius mortem. Nam ſi cognata mortua eſſet, & fratrem à mortuis ſuſcitatum eſſe.* Erat enim mulier illa intractabilis, difficilis, & viro, dum vixit, admodum moleſta & infeſta, ac mariti propè mors quædam.

6 Gregorius Haimburgenſis, ſcientia iuris ac facundia inter omnes Germanos facile princeps, cum domum ex curia Cæſaris in qua diu fuerat verſatus reuertiſſet, atque non longe ab oppido Nurenbergenſi amicum oſtendiſſet, qui vxorem ſuam viuere & bene valere diceret; *Si viuit vxor*, inquit, *ego obii.*

VII. Vrbanè.

Matrimonium ita demum exigi tranquille, & ſine querela poſſe dicebat, ſi mulier cæca fiat, & maritus ſurdus.

7 Ottacharus Rex Bohemiæ, cum de pudicitia coniugis ſiniſtra ad ſe rumores delati eſſent, *Lex*, inquit, *natura eſt Cornua qui faciunt, ne cornua ferre recuſent.*

VIII. Prudenter.

Quemadmodum argentarii ad aurum atque argentum probandum cote iudice vtuntur, ita ſe Rex vti magiſtratibus ad cognoſcendum ciuium mores, atque animos dicebat: magiſtratu quidem maximè homines demonſtrari atque cognoſci.

8 Iohannes Varadienſis Epiſcopus, regnique Hungariæ Cancellarius, tam morum elegantia quàm literarum ſcientia regnicolarum nulli ſecundus, cum præfecturas vrbium & prouinciarum ad nouos & incognitos deferri homines animaduerteret: *Poſt annum* inquit, *videbimus bonáne fuerit Regis electio Quod ſi mihi fides fuerit, probatos ad hæc munera, quàm probandos potius aſſumam.*

IX. Fortiter.

Lupus Simoninus Durreæ dominus per id temporis Neapoli Proregem agens, cum per nuncium Regi abſenti ſignificaſſet, nauem alteram ex duabus quas inſtar montium Rex ædificauerat, nautarum negligentia deflagraſſe, reſpondit: *Scire ſe eam nauim, quamlibet magnam atque magnificam, paucis tamen poſt annis aut labe, aut teredine perituram fuiſſe. Proinde ſecum æquo animo, ſi ſapit, ferat infortunium.*

9 Vlrico de Roſis inter Bohemos proceres opibus & auctoritate pollenti, cum Sigiſmundo abſenti mortem fratris & rebellionem Pragenſium ſignificaſſet; *fratrem ſuum*, reſpondit Sigiſmundus, *naturæ tributum ſoluiſſe: Pragenſes verò ſibi tanto glorioſius ſoluturos, quanto fortius vincerentur.*

X. Vrbanè.

Dicenti cuidam, ſapientem virum ſe tandem reperiſſe; *Quomodo*, inquit, *ſapientem dignoſcere ſtultus poteſt?*

10 Para-

10. Parasitus Alberti Marchionis Chilianus nomine, dicenti sibi cuipiam, cur te stultum adsimulas cùm rectè sapias? *Heu quàm inique fortuna*, inquit, *mecum agit? quanto magis studeo me fatuum ostendere, tanto prudentior existimor. Contrà filium meum, qui videri sapiens nititur, stultissimum omnes iudicant.*

Philelphum Poëtam ad se Satyras diutissimè euigilatas deferentem illasq; canentem, ac propè agentem, non prius quàm militiæ honore decoratum præmiisq; auctum remisit. XI *Liberaliter.*

11 Legerat Philelphus (vt opinor) cum Satyras Alphonso mitteret, quod scribunt veteres de Antonino Pio, qui Oppianum Poëtam de natura piscium canentem, per singulos versus aureo nummo donauit, vnde sunt illius postmodum *aurea carmina* nuncupata.

Cum aliquando nauali prælio Rex desperatis rebus, posset ex onerariis nauibus in triremium suarum classem facile euadere: etenim præfectus illarum Ioannes Esernitanus vir strenuus (qui profecto semper Regis voluntatem ac nutum obseruabat)* noluit tamen in triremes descendere. Sed ex naui sua primus in hostium nauem transiliit, seque dedidit, ratus id, quod postea effectu probatum est, eius iam capti autoritatem, ad sociorum salutem & liberationem plurimũ valituram. XII. *Pie. Fideliter.* ** deest aliquid.*

12 Interea Austriam cum remearet ex Italia Fridericus Imperator, renunciatum est Austriales in armis esse, & assumptis secum aliquot Bohemorum militibus Nouam ciuitatem obsidere instituisse: proinde caueret ne montes Styriæ transmitteret, similiterque amici omnes vno ore consuluere. Nam fuga cum in Austriam venisset, nulla ei facultas daretur. Ad ea Fridericus, *Nec mihi verisimile fit Austriales*, ait, *eò perfidiæ prolabi, vt me dominum suum exercitu petant; neque ego is sum, qui fugiam ante ora eorum, quin capi vel occidi malim. Ex in quid illi petant, nisi Ladislaum. Pignus hoc, quo reddito liberi sumus, tenerum adhuc puellum inuiti ex tutela nostra remittemus. At si pergunt petere, in medium Austrialium, Bohemorum & Hungarorum id pomum dabimus, de quo tres deas inter se contendisse fabulæ Iunonem, Venerem, & Mineruam tradunt.*

Lupo Simonino, quòd eius opera in bello Neapolitano viginti annos fideliter pariter ac fortiter vsus esset (id quod magnanimum & generosum appetere intelligebat) summos quosque honores, nouosque amplissimos magistratus ei Rex contulit. Siquidem cum proregem aut (si mauis) præsidem Siciliæ, similiter & in toto regno Neapolitano, quod ante a nulli alii contigerat, fecit, seque alterum appellari iussit, exemplo (vti ego arbitror) Alexandri in Ephestionem. Gratitudine quidem & officio neminem vnquam se vincere passus est. XIII. *Grate.*

13 Pipponem Florentinum ex domo Stroziorum, qui cum plurima bella fideliter feliciterque confecisset, adeò Sigismundus Imperator apud Hungaros magnificauit, vt secundum illius regni caput omnes faterentur plerique primum putarent. Dixisse quoque Sigismundum aliquando ferunt: *Facile Pippo, si velit, scipione in manum meam dato, regni fines egredi me solum ac nudum videbit.*

XIV. Constanter. Alphonsus cum à Ludouico Podio è Roma certior factus esset, Ritium regiorum peditum ductorem ad hostes oppidis aliquot occupatis statim transiturum, operæ pretium fore, illum re adhuc integra capere ac custodire, *malle se*, inquit, *à suis prodi damnoq; affici, quàm de illis vnquam minus confisum videri.* Desciscat Ritius, vt lubet, se nequaquam de beneficiariis suis tale aliquid, nisi comperto scelere, esse crediturum. His adiiciens, quod Ritius proditionis occasionem quærens, à Rege grandem quandam pecuniam efflagitauerit, Rex illam, vel vt eum à proposito deflecteret, vel ne quid culpæ in seipsum reiici posset, ad Ritii excusationem è vestigio quantamcunque tradendam curauit.

14 Romam cùm peteret Fridericus Imperator, ex præfectis, quos Flauianis reliquit, certior factus est, Vlricum Eitzingerum inter proceres Austriæ opibus & industria nulli secundum, trans Danubium profectum esse, ibique clandestina colloquia cum Morauis habere, timendum esse ne res nouaret absente Principe. E re igitur fore Vlrico cum rediret, vincula iniicere. Quibus Imperator respondit, *clarum ac potentem hominem periculosum esse in carcerem rapere, quando neq; nocentem plectere eum, neq; innocentem dimittere audeas. Vlricum deinde, quia consiliarius suus esset, iurisiurandi immemorem haudquaquam se credere, priusquam experiatur.*

XV. Fortiter. Eidenter. Redeunte Alphonso è Caieta Neapolim, cumque vna in classe regia Ioanna regina, & Ioannes Caraciolus vir primarius, pluresque præterea proceres ac reguli nauigarent ad eum, propius accessisse Sphortiam aiunt atque dixisse. *Nunc ô Rex, si vis (& velle debes) potes vniuersum Neapolitanum regnum absque aduersario atque discrimine aliquo extra omnem dubitationem obtinere. Hoc est, si quos tecum ipse ducis, eos omnes in Siciliam captiuos dimiseris, ac regnes solus.* Cui Rex, *siquidem id nesciret, se eo proposito ex Hispania discessisse, vt veram & absolutam gloriam, quantum in se esset, reportaret ad suos: quam non perfidia & dolo, sed virtute & constantia sese posse assequi, Dei optimi maximi benignitate confideret. Reges quidem fortuna omnis minimè indigere: sed laude potius, hoc est hominum perpetua commendatione & fama.*

15 Ladislaum Hungariæ ac Bohemiæ Regem cum educaret Fridericus Imperator, non defuerunt peruersæ mentis homines, qui perdendum suaderent puerum, cuius vita ingentes molestias Cæsari, mors regna & opes maximas allatura essent. Ad quos ille, *Ergo me*, inquit, *opulentum magis regem, quàm pium, quàm iustum cupitis. At ego bonum nomen cunctis diuitiis antepono.*

XVI. Iuste. Grauiter. Maxima cura intentum Regem ad exoluendum leuandumque sese ære alieno nuper vidimus, memorem (vti ego arbitror) dicti illius, *litis atque æris alieni comitem esse egestatem.* Per bellum etenim Neapolitanum quinque & quinquaginta millia super quinquies centena aureorum mutuo contraxerat, à quo debito, dum proderem hæc,

propè

propè liberatum vidimus. Ac proinde respirantem & meritò lætum dicere, *Regibus qui pro reditu sumptus metiuntur, bona omnia cedere, amari à ciuibus, non metui, ciues ipsos à suspicione nouorum munerum leuatos, alacres agere, suaq; bona ostentare, ac deniq; principis vitam votis suppliciisq; expetere.*

16 Iohannes S. Angeli Cardinalis, natione Hispanus, cum in Austriam sedis Apostolicæ legatus venisset, cognouissetque Friderici Cæsaris, qui reditus & qui sumptus essent; *Rumor erat* inquit, *Fridericum ad rem nimis attentum esse; at meo iudicio perliberalis est, qui facultatibus sumptus metitur.* Ceterum Sigismundus & Albertus, qui ante eum imperauit, Bohemiæ & Hungariæ ditissimis regnis præfuerunt, propemodum prodigi principes, largitatem eius obfuscant.

Adulatores autem lupis haud absimiles dicebat esse. Nam quemadmodum lupi titillando ac scalpitando asinos vorare soliti essent: sic adulatores ad perniciem principum, blanditiis ac mendaciis contenderent. XVII. Grauiter.

17 Cum diceret aliquando Sigismundus Imperator, assentatores se veluti pestem odisse: *imo*, inquit Brunorius Veronensis, *nullum genus hominum magis amas. Nam quid apud te possent Marcus Banus, Laurentius Palatinus, Vrsacius Michael, Caspar Schlickius, nisi assentando tuam gratiam meruissent.* Tum Sigismundus, Brunori, ait: *Sic nam comparatum est, cum vitandos esse adulatores dicimus, tum maxime illis aures damus. Nec tu mecum tamdiu fuisses, nisi mihi blandiri assueuisses.*

Cum in prædicatione cuiusdam viri sancti somno Rex admodum grauaretur, nec id dignitati, aut attentioni suæ conuenire intelligeret, digitis digitos occultè quidem ita cõtorsit, vt soporem præ dolore omnino excuti, & amoueri necesse esset. XVIII. Fortiter.

18 Animaduertit religiosus quidam prædicator ex ordine minorum, Albertũ Cæsarem, Ladislai patrem, qui sermonem suum Viennæ audiret, somno grauatum esse, atque altiori voce, *Quæro* inquit, *ex vobis qui astatu saluarine Principes possint?* Cumque rem dubiam, & admodum difficilem reddidisset; *apagete*, ait, *namque si baptizati Principes, ac in cunabulis moriantur, non est desperanda eorum salus.*

Alphonsus quodam die Panormi sacratissimæ dominicæ hostię obuiam factus, equo desiliit, corpusq; Domini comitatus, deductus est tandem ad domum mulieris laborantis è graui partu, atque penè iam mortuæ. Qua ex re valde sollicitus atque anxius Putio, qui dum aderat, mandat, vt illico diuæ Serenæ cingulum afferat: quo allato, & summa cum deuotione super iacentis corpus imposito, statim incolumis enixa est. XIX. Pie.

19 Grauida bellis Hetruria laborat partu, diuæ Ferinæ cingulum ex Rege petit. Neque enim alius est, qui salutem illi elargiri facilius possit.

Mediolanensibus vero à Venetis pariter & à Francisco Sphortiã bello oppressis, auxiliumque ab Alphonso magnopere postulantibus, arbitratus est Rex, illis demum bene consultum iri, si Ludouicum Gonzagã hoc ipsum affectantẽ, mercede conduceret Mediolanensiũ XX. Liberaliter. Fidenter.

causa. Quapropter Putio Podio mandauerat, vti hoc nomine ipsi Ludouico triginta millia aureorum persolueret. Cæterum Podius, quoniam interim Carolus Ludouici frater, qui sub Mediolanensibus merebat, occupata Laudente & Crema ad Sphortiam transisset, ac proinde ne cum fratre Ludouicus consentiret, addubitaretur, pecuniam numerare supersedit, Regemque per literas admonuit, pecuniam quamuis promissam, in re tamen dubia nondum numerandam sed seruandam potius sibi videri. Cui Rex maiori sibi curæ esse, sibi fidem seruare, quàm pecuniam respondit. Quare Ludouicus, vtcumque res cederet, quod semel promisisset, exolueret. De bono & spectato viro perbellè semper & præsumendum & sperandum esse.

20 Fridericus Dux Austriæ, Alberti Cæsaris filius, commissurus prælium aduersus Ludouicum Baioarium, qui cum de Imperio contendebat, quamuis accepisset Marchiones Brandenburgenses cum hostibus consentire, his tamen promissam antea pecuniam numerat; alienam fidem accusare, quàm suam requiri præoptans.

XXI. Humaniter. Conuocato regulorum procerumque concilio Neapolim, non defuerunt qui crederent euocatos à Rege contrucidandos esse: siquidem id aliquando eis à superioribus Regibus accersitis acciderat. Cæterum hi primò quidem ab Alphonso humaniter accepti sunt, deinde dissoluto concilio læti & incolumes dimissi: tum primum sese verum Regem ac patrem vidisse profitentes.

21 Mariam Hungariæ reginam cum accepisset vxorem Sigismundus, de quo sæpe facta est mentio, Principum regni concilium apud Budam actum est. In eo regina perfidiam regulorum accusauit, qui se regno spoliare conati essent. Tum Sigismundus vnà cum iudicibus causa cognita, duos & triginta regulos securi percussit. Quæ res multorum deinde laborum & discriminum causa fuit.

XXII. Fortiter. Offerentes sese quondam ad Renati Andegauensium Ducis necem, reiecit ac detestatus est, vt si tale aliquid de cætero cogitare auderent; in eos tanquam parricidas animaduersurum minaretur: addens, se quidem virtute, non insidiis cum hoste de regno contendere. Simile & iis respondit, qui sese in mortem Francisci Sfortiæ paratos esse Regi significarent, *Nunquam sibi victoriam placuisse, cuius postea pigendum pudendúmve esset. Nisi huiuscemodi consiliis abstineant, talia se exempla in illos editurum, vt eiusmodi consilia, sibi admodum molesta esse omnes intelligant.*

22 Inter Iohannem Caroli IV. patrem, & Henricum Carinthiæ Ducem, de regno Bohemiæ longa & difficilis contentio fuit, quo tempore clanculum ad Iohannem venit, qui se veneno hostem occisurum promitteret, si præmium speraret. Cui Iohannes, *Si me nescio Henricum interemisses, atque ad me venisses, crux tibi præmium futurum erat, qui regio sanguine manus commaculasses. Et tu me modò auctorem tanti sceleris petis?*

XXIII. Audiuimus à Rege, cæcum natura Agrigenti adhuc viuere, quem sæpe-

ſæpenumero ducem venationis habuiſſet, monſtrantem his ipſis, qui oculis cernerent, ferarum ſaltus, ac latebras. Sed & id de cæci huius induſtria mirum adieciſſe: Nempe habuiſſe hunc aureos fermè quingentos, deque his valde ſollicitum ſtatuiſſe in agro defodere, defodientem à vicino eius compatre conſpectum, eoque abeunte pecuniam ablatam. Cum verò paucis poſt diebus theſaurum reuiſeret, neque inueniſſet theſaurum, animo angi, diſcruciari, excedi, neque alium conjecturare, niſi vicinum compatrem ſurripere potuiſſe: acceſſiſſeque ad illum atque dixiſſe, Eſſe quod conſulere eum oporteat, tenere ſe aureos mille, quorum partem dimidiam abſtruſiſſet iam in tuto loco, de reliqua autẽ dimidia anxium eſſe, vtpote cæcum & rerũ perquàm incõmodum cuſtodem, propterea ſi ei quoq; viſum fuerit, hoc reliquum in eodem loco illo tuto quidem trudi & abſtrudi poſſe. Compatrem approbaſſe conſilium, ac properè præcurriſſe, quingentosque aureos, vnde nuper effoderat, recondidiſſe, ratum totos mille mox ſibi nequaquam defuturos. Poſt hæc cæcum in agro reuiſiſſe, repertaq; pecunia compatrem appellando, exclamaſſe: *Cæcum oculato melius vidiſſe*, lætumque rediiſſe. Cæterum verò admonitum Regem, eos imperatores maximè laudare, qui eos, qui oculum præliis amiſiſſent, coronatos milites ſuosque Hannibales appellarent. — *Cæci ingenioſum commentum.*

23 Ziſcha homo Bohemus humili loco natus multa vi animi & corporis, ſed ingenio prauo, cum Huſſitarum labes Bohemiam infeciſſet, ducatum Hæreticorum ſuſcepit, præliaque complura aduerſus fideles, qui ſuperfuerant, feliciter geſſit. Amiſerat hic oculum vnum in pueritia, dum inter æquales luderet. Altero in obſidione cuiuſdam caſtri priuatus eſt. Sed neque oculo vtroque caſſus imperio ſe abdicauit. Sequebantur eum ingentes copiæ, ab eoque non Bohemi tantum, verùm etiam Teutones magnis cladibus affecti ſunt. Is moriturus cum rogaretur de ſuo corpore, quid fieri mandaret: *Pellem, inquit, mortuo demite, reliquũ ſeris cadauere, ex ea tympanum facite, quo in præliis vtamini. Nam vt hoſtes viuentis aſpectum non ferebant, ita mortui ſonitum non ferent.*

Conductus à Rege Neſtor Fauentinus ſedecim millibus aureorum, ſibi traditis iam, antequàm Regi militare inciperet, ad Bononienſes & Franciſcum Sphortiam ſe contulit. Quod cum Neapoli reſcitum eſſet, Antonius Cæſarelius Neſtoris ſcriba, qui tum negocia procurabat apud Regem, vitæ metuens profugit. Verum interceptus in via ad Regem reductus eſt. Conſtitutus in medium, iuſſus eſt recitare conditiones inter Regem & eius dominum per eum initas, quas cum intellexiſſent, qui aderant, ab Neſtore violatas eſſe, à Rege dimiſſus eſt, non ſolum metu mortis liberatus, ſed viatico etiam adiutus. Hoc etiam ad magnanimitatem Regis referendum eſt, quod cum Neſtor in fidem recipiendæ pecuniæ obſidem dare filium obtu- — XXIV. *Clementer. Magnanimè.*

lisset, à Rege illi sicuti plerisque aliis negatum esse palàm est. Non metu enim, sed gratia & voluntate sibi operam dari, semper suum cōsilium extitisse.

24 Docet Nestor Fauentinus, quanta cum Picinino, tum cæteris copiarum ducibus, quos alit Italia, fides habenda sit.

XXV. *Liberaliter.* Alphonsus Ludouico Podio, quo propter eius singularem diligentiam ac fidem perpetuò ferè oratore in Italia vsus est, renunciante pro pace, quam Venetis & Florentinis daturus esset, plusquàm ducenta millia aureorum extorqueri posse. Respondit, *pacem dare se, non vendere solitum esse.*

25 Quamuis omnia libenter audio, quæ vel fecisse vel dixisse Alphonsum tradis, nihil tamen in animum tam cupidè recipio, quàm responsum illud Ludouico Podio diuinitus datum. *Regem*, scilicet *pacem dare, non vendere solitum.* Nam & nos huc pacem oraturi, non empturi venimus.

XXVI. Cum esset Rex cum exercitu Tyburi, redditæ sunt ei literæ ab inclyto illo Mediolanensium duce Philippo Maria in hanc ferè sententiam: *Philippus Alphonso salutem. Ardeo equidem cupiditate incredibili, ad me vnū aliquē e tuis interioribus aulicis mittas, fide ac probitate quam maximè spectatum, qui cum ea fiducia de rebus arduis loqui liceat, ac si tecum coràm locutus essem. Vale.* Ex omnibus Regem Ludouicum Podium delegisse scimus, hic cùm & literis manu Regis scriptis & signis secretioribus ad Philippum accessisset, primum iureiurando à Philippo adactum esse, ne quicquam eorum quæ auditurus esset proferret. Deinde vt Regi quàm citissime renunciaret, sibi propositum esse vtique fixum & immutabile, Regem ipsum ex asse hæredem facere, ipsique Putio in præsentia tradere paratum esse Regis nomine ciuitates, oppida, atque arces, quæ quidem regiorum militum præsidia, qui in Gallia Cisalpina per id tempus sub Raimundo Buillio regis duce militabant, per quem opportunè custodiri possent, tum magistratus, tum iudicia, tum ærarium, tum introitus omnis penes ipsum Regi resignaturum, sibi duntaxat arcem Iouis & Papiæ in aduentum Regis reseruaturum, & has quoque requirenti Alphonso traditurum, nec omnino sibi adueniente rege nisi Papiæ redditus retenturum. Hæc cum Putio maiora esse, quàm vt in præsens transigi posse viderentur, ex Philippi quoque sententia ad regem magnis itineribus cōtendit, Regiq; omnia, vt gesta erant, enarrauit. Rex primo rei nouitate admiratus, indoluit Philippi vices, quem honoris gratia patrē appellare consuesset, quandoquidem illū Venetorum armis oppressum, ita de regno suo instituisse arbitrabatur. Deinde ipsi Ludouico respondisse, *Etsi Philippi regnū atq; fortunæ amplissimæ & locupletissimæ sunt,*

non

non se quidem ambitionis, sed gratitudinis causa illi auxilium præstare paratum esse. Se rese omni isu i & vitam ipsam Philippo debere: sibi itaque Philippus habeat & ciuitates & bona sua: se quidem opinione celerius ex Tyburi Mediolanũ cum exercitu vltrò aduolaturum. Iussitq; tandem vt Putius quàm celerrimè rediret, Philippumq; ad bonam spem sui aduentus exhortaretur. Interim forti & constanti animo illum esse oportere, ac cogitare potius, quomodo Venetorum bona distribuat, quàm quomodo sua ipsius largiatur. Sed quoniam sciret Philippum natura suspiciosum esse, mandatis adiecit, vti per omnia Philippo consentiret, proque illius voluntate omnia diceret ac faceret. Se quidem mox præsentem quicquid egissent, in melius non sine Philippi laude & lætitia reductarum. Et hæc quidem à duobus prudentissimis principibus parabantur. Verùm ego compertum atq; exploratum habeo, cum reliquis vero omnibus, tum vel maximè principibus rerum futurarum adeò prorsus ademptum arbitriũ, spesq; & cogitationes mortalium vanas esse, dùm enim Ludouicus præmissus accederet, Rexque ipse proficisci pararet, Philippus mortem obiit, Alphonso hærede instituto. Quo nuncio incredibili quidem dolore Rex (alioquin excellenti animo) consternatus est. Quod videlicet, gratitudinis, liberalitatis, ac virtutis materiam sibi præreptam in Philippi benefactoris interitu sentiret.

26 Multa Philippo Alphonsus debuit. Ac plura Christo debet. Pro Philippo bellum suscipere contra Venetos instituit. Cur pro Christo contra Turcas arma non capiat? Maiores Turcæ quàm Veneti. At maior multo Christus quàm Mahumetes.

Cum audisset Rex me vxorem esse ducturum, primò improbauit, arbitratus de cætero literis simul & vxori me operam dare non posse, ac proindè vera solidaque literarum voluptate cariturum. Sed cum mox audisset, me Leonoram Aureliam virginem probam, nobilem ac formosam duxisse, approbauit, literarum commoda, & honesti coniugii suauitatem in æquo ponens. XXVII.

27 Interrogatus aliquando Marianus Sozinus Senensis vtroq; iure consultissimus, Cur minus solito literis operam daret? *Vxorem*, inquit, *duxi.* Rursus interpellatus, cur Socrates postquam duxit vxorem, non iidem philosophiæ studia neglexisset? *Xantippe, ait, morosa fuit, & (vt existimo) deformis: mea vero proba est, & forma non postrema.*

Alphonsum cum quæreretur ab eo, quare podagrici loquaciores essent. Ita iocatum accepimus. Podagricos pedum vitio afflictos, ambulare non posse: Ideo lingua, velut ambulatione quadam eos crebrius vti solere. Adhæc non illepidè adiectum, Ennium cum podagra laboraret, tunc bene & copiosè poëtari consuesse. XXVIII.

28 Ennius Senensis qui Ecclesiæ Grossitanæ præfuit, antequàm pontificatum accepisset, in Petrum de monte Licino non incelebrem Astronomum, qui tum podagraretur incidit, atque ab eo, dum alteram post alteram fabulam recitat, diu retentus, dum transeuntem notum quempiam vidisset, *Age*, inquit, *ô amice, ausculta hunc podagricum. Nam mea audiendo aures ambæ obtusæ sunt.*

XXIX. In obsidione Staphati centuriones ac milites, qui oppido præsidio erant, non solum omnis generis tela, sed verba etiam petulantissima atque obscœnissima in Regem, & in Ioannem principem Tarentinum, ac Petrum infantem Regis fratrem, qui aderant, iactitasse satis constat. Capto autem oppido cum ipse princeps atque infans ab ira ex conuiciis stimulati, eos in furcam tollendos esse contenderet, Regem contra omnes pro sua consuetudine missos fecisse, simul & suorum indignatiunculam ita leniisse. In huiuscemodi iniuriis, non quid dicatur, sed à quo dicatur, inprimis animaduertendum esse. Spurci viuant spurcè, loquantur spurcè, vt libet: se nequaquam ob alterum maledicta à sua natura & moderatione recessurum esse. Adhæc victoriam fortunæ esse munus, clementiam suum ipsius, qui clemens esse deberet. Itaque vnumquemque malle ex clementia, quàm ex victoria laudem adipisci. Denique expertum loqui, nihil magis aduersariorum animos flectere, & conciliare solitum esse, quàm placabilitatis, & mansuetudinis nomen.

29 In obsidione Pragensi principes ciuitatis, qui Sigismundum odissent, populares vt obscœna & petulantissima in eum verba iactarent, astu atque arte prouocabant, sic enim futurum arbitrabantur, vt irritatus hostis crucem & quæuis duriora supplicia comminaretur obsessis: illi vero pœnam metuentes, obsidionis incommoda constantius tolerarent. Quod cum intelligeret Imperator, impunitatē omnium, quæ in se dicerentur per præconem promisit.

XXX. Rex Ludouico Podio renuncianti esse quendam in Venetorum naualibus, qui illa vnà cum armamentario, quod in his erat, exurere pollicitaretur, si sibi duo millia aureorum à rege promitterentur, conatusque illius facile cessuros affirmanti, ita rescripsit: Etenim sibi, non quidem, insidiis vti sæpius à se modo accepisset: Sed aut virtute vincendum esse, aut nunquam profecto vincendum. Ex hac enim re non aliam sibi laudem sperandam esse, quam eius qui Dianæ Ephesiæ templum incendisset, cuius nomen totius Asiæ decreto è memoria hominum obliteratum traditur.

30 Ad Rudolphum Imperatorem venit quispiam, qui Othaccarum Bohemiæ regem in venatione sese occisurum promitteret, si facto præmium esset. Cui Rudolphus: *Etsi noster hostis est Othacarus, eumque odimus, non tamen id efficiet, vt iustitiæ & moderationis fines transeamus.*

XXXI. Bona illa quæ habentibus mala & perniciosa esse aliquando possent, non modo bona nō esse, sed ne dicenda quidem bona Rex existimabat.

mabat. Bonum enim perpetuitatis non momenti, animi non fortunæ, cœli denique non mundi huius esse.

31 Inter philosophos, inquit Hugo Senensis, multas inuenio hæreses, quas facile tollas, si de nominis huius re contentas.

Erat Alphonsus apud Iuliani templum iuxta Neapolim, cum ex prælio relatũ militem lethaliter gula transfixum, circa se locari iussit, suoque sudario vulnus obdurari. Cum vero nullam spem vitæ præsentis haberet, ad beatam & immortalem vehementer hortatus est, mortuum sepeliri quoque diligentissimè curauit. XXXII.

32 Albertus Austriæ Dux, antequam Romanum suscepisset Imperium, in Iudæos desæuiens, eos omnes in sua ditione occidi iussit, qui nollent ad Christum, verum & singularem Deum conuerti. Multi metu baptisma suscepere, ex quibus vnum Fridericus, antequam imperaret, in cubiculum suum accepit, cumque cum esset sibi coëtaneus, quasi fratrem dilexit. Is post aliquot annos pecunia ductus ad Iudaicam fidem sese reuerti statuisse dicit. Fridericus contra suadet ne viam vitæ deserat. Cumque verba sua nil proficerent, Theologos ex Viennensi schola accersit, qui iuuenem instruant, addit preces, addit lachrymas, promittit, minatur. Postremò verò vt frustra sese niti cognouit, fraternam quodammodo charitatem, religiosæ & veræ pietati postposuit, inuitusque & admodum dolens, iuuenem in iudicium requisitum tradidit. Ille ad supplicium ductus, nullis constrictus vinculis (sic enim petierat) vt pyram ardentem vidit, Hebraicum carmen incipiens, in medias flammas intrepidus se coniecit.

Victo captoque à rege Antonio Caudola Carpenono, vbi vxor & filii & fortunæ omnes Antonii, essent in potestatẽ redactæ, omnes in libertatem pro suo more incolumes restituit, thesauros vxori dedit. Sibi ex pretiosa & diffamata supellectile nihil omnino nisi vitreum poculum assumens. XXXIII.

33 Ex præda villarum, quas diripuisset Zisca Bohemus, nihil ad se deferri iussit, nisi telas aranearum. Sic enim pernas, salitasque carnes è rusticano tecto pendentes appellabat.

Fœnus nihil aliud sibi videri, quàm animæ funus dicebat. XXXIV.

34 Fœnus ita demum sine peccato exerceri posse diuus Bernhardus Senensis affirmauit, si pecunia his crederetur qui nec capitalem summam reddere possent. *Grauiter. Animosè.*

Renatus dux cum per fecialem ferream chirothecam (id est prælii signum) detulisset Alphonso, alacriter illam accepisse palàm est. Moxq; fecialem interrogasse, num in singulare certamen, an in vniuersum exercitum se prouocaret, quoniam ipse vtrumque, videlicet, accepisset. Respondente vero feciale, non in vniuersum certamen à Renato prouocari, confestim pugnæ locum & tempus iure belli statuisse, accessisse, at nequicquam expectasse. XXXV.

35 Anno abhinc sexto & quadragesimo inter fratres Mariæ Teutonicorum & Vladislaum Poloniæ regem de regni finibus orta quæstione, vtraque pars ingentes copias in bellum eduxit. At primi Pruténi, siue numero militum, siue animi ferocia exultantes, duos gladios per fecialem Regi misere, vt ex his quem mallet

vnum acciperet. Is cum Vitoldo fratre ſuo Deo hoſtias libabat, qui audito feciale, Non minus inquit prælium recipio. Conſecrato gladio, quem elegerat, eo ſe accinxit, & facta pugnandi copia, Lituanos, qui auxilio venerant, primos opponit, quorum ſtrage fatigata Prutenorum manus, & ipſa Polonis ſuperuenientibus, ſternitur cruentiſſimo prælio, & die confecto victoria Regis fuit, viri equeſtres ex ordinis religione cccc. cum ipſo magno Magiſtro periere, cæſa ex plebe multa millia: qui ſuperfuerunt, capti; Pruſſia, præter oppidũ B. Mariæ, omnis ad Polonos defecit.

XXXVI. *Clementer.* Alphonſi vero moderationem, clementiam, liberalitatem, cum in alios propè innumerabiles, tum in Marinum Boſſam, ſuum infenſiſſimum hoſtem, quis dignè ſatis vnquam enarrauerit, qui Arpario oppido, & in eo ſimul Marino ipſo vi capto, cum vniuerſus fermè exercitus in Marini necem coniuraſſet, vnus Alphonſus ipſum à militum furore atque iniuria prohibuit, quem poſtea in bona reſtituit, & in ſenatorum numero collocauit, eius etiam filiis inter aulicos, quos familiariſſimè diligebat, admiſſis.

36 Cum diceret Laurentius Palatinus Hungariæ, imprudenter agere Sigiſmundum Imperatorem, qui victis hoſtibus non ſolùm vitam & opes relinqueret, ſed etiam eos inter amicos reciperet, extolleretq;. *Tibi*, inquit Sigiſmundus, *videtur vtile inimicum occidere, neq; enim mortuus bellum excitat. At ego inimicum occido, dum parco; & amicum facio, dum extollo.*

XXXVII. *Piè. Fortiter.* Cum claſſis Philippi ducis Mediolanenſis aduentare in auxilium Caietanorum cerneretur, eſſetq; de imperatore regiæ claſſis eligendo non parua diſſenſio: (ſiquidem Ioannes Nauarræ rex & Henricus infans, vtriq; regis fratres; id pro ſe quiſq; appetere videbatur) Alphonſus ne alteri curam & imperium claſſis demandando, alterum offenderet, ſtatuit ipſe claſſem conſcendere, pacem & concordiam fratrum pluris faciens, quàm periculum, quod caſtris imminere videbatur, ſi quod accidit, caſtra ipſe relinqueret. Sed & illud mox in eo prælio memorabile extitit, quod cum victo regi conditiones afferrentur, non prius illas recepit, quàm ſociorum vitam cum hoſtibus pactus eſſet, nullam omnino vitæ aut ſalutis ſuę mentionem faciens, præclariſſimè ſecum agi exiſtimans, ſi ſua ipſius morte reliqui vel à morte ſeruarentur, vel à captiuitate redimerentur.

37 In bello, quod contra Bohemos Albertus Auſtriæ dux, prius quàm Romanis imperaret, diutiſſime geſſit interrogatus quem copiis præficere ſtatuiſſet, *Si aliũ* inquit, *quàm me ductorem exercitus petitis, fruſtra me Auſtriæ ducem appellatis.*

XXXVIII. *Conſtanter & cum decore.* Captum vero regem, dum ad Philippum perducerent adeò liberi autoritatem maieſtatemq; perpetuo ſeruaſſe aiunt, vt interdũ victoribus ipſis, non victus, ſed victor potius appareret. Nautis enim, qui eum conducerent, ac nauis præfecto, quæ ipſe cuperet, quotidie mandaſſe, mandata illos obſequẽter ac reuerenter executos eſſe, propterea haud quidem temere dixiſſe nonnullos, In omni fortuna Alphonſum & videri & exiſtimari merito regem.

38 Ludo-

38 Ludouicus Baioariæ dux apud Henricum eiusdem familiæ principem in carcere cum obseruaretur, nunquam illi ad se venienti assurrexit, neq; capite annuit, neq; quod ab eo peteretur, suaderetúrve quicquam fecit. Eum vultum, eam seueritatem retinuit captus, quibus cum liber esset, vsus est.

Cum Beneuentanæ arcis præfectus de arcis deditione suspensus dubiusq; adhuc esset, Alphonsum re cognita statim Beneuentum aduenisse accepimus, atq; in arcem, vbi validum inerat præsidium, transmisso ponte introiisse, obstupefactum vero præfectum regis audacia, & arcem & se cum præsidio vltrò dedidisse. XXXIX *Fortiter.*

39 Conspirauerant Hungari aduersus Sigismundum, armatiq; regiam intrauerant, aut capturi regem, aut si id nō succederet occisuri, quos vt ad se irrumpentes cognouit, accepto pugione in medium progressus; *Ecquis, inquit, vestrum manus in me iniiciet, aut quid nam feci, quod me regem vestrum occidere vultis, prodeat è vobis si quis audet, & cum me solo solus congrediatur.* Ea voce & audacia obstupuere coniurati, & sibi quisq; timens abiere.

Erat Beneuenti Rex, cumq; accepisset suos milites ex castello Boualengo, quo irruperant, expulsos esse, properè accurrisse tradunt, scalasq; suis manibus apprehensas in fossam oppidi deuoluisse, equitibus equo desilire iussis, & scalas ascendere, quo facto receptum oppidum & direptum esse. XL. *Fortiter. Pië.*

40 In eo bello, quod aduersus Nurenbergenses anno abhinc sexto Albertus Marchio Brandenburgensis eximie gessit, Grauenburgum ab eo multa vi oppugnatum est. Id oppidum in valle iacet XX. millibus passuum à Nurenberga, muro ac fossa munitum. In quo præter oppidanos quingenti milites præsidio inerant. Oppugnatio quatuor diuersis locis cœpta est. Albertus sibi eam oppidi partem elegit, qua murus altior & fossa profundior fuit. Insultu facto ab ea parte, qua oppidum captum est, secundus ex omnibus ipse murum ascendit, in oppidum vero primus descendit. Circumuentus ab oppidanis tamdiu pugnam sustinuit, quamuis in se vnum multi concurrissent, donec alii pugnantes, decretis sibi murorum partibus superatis, suppetias tulerunt, oppidum captum direptumq; est, fœminis nulla vis illata. Nam id apud Teutones pro inexpiabili scelere habetur.

In obsidione Neapolitana cum audisset Petrum fratrem, quem propter singulares animi & corporis dotes supra fraternum affectum diligebat, saxo tormentario ictum occubuisse, vt viseret maturauit, exanimem multis piisque cum lachrymis exosculatus, mox in arcem quam Oui vocant tantisper efferendum curauit, donec iusta apparatu regio, quod postea fecit, persoluere liceret. Dein ad exercitum reuersus, iam Petri interitu vehementissimè consternatum, forti admodum oratione erexit illum ac confirmauit. Rursum ad amicos & Petri socios absentes consolatorias epistolas scripsit, quas qui legit, quem philosophum non contemnat? vno itaque & eodem tempore piissimi fratris, & fortissimi imperatoris munus obiisse satis constat. XLI. *Fortiter.*

41 Iodocus Marchio Morauiæ cum patruum suum Wenceslaum Bohemiæ Romanorumque regem visitatum venisset, vocauit eum patruus in penitiorem ædium partem, atque in hunc modum allocutus est. Etsi satis scio, non esse è dignitate mea, quòd Electores imperij me regno Romano abdicauerunt, solatio tamen est, quòd familia nostra hoc decus non excidit. Ego te libens volensq; successorem mihi datum accipio. Cumque Iodocus his verbis territ[illegible] ad Regis genua procubuisset, ac ibi nihil imputandum diceret, qui earum rerum omnium ignarus esset. Pone metum, inquit, nepos. Nam neque imperium inuitus depono, neque si retinere illud cupiam, iura sanguinis violari ausim. Bono itaque animo esto, imperiumque tibi demandatum suscipe, mihi mea satis est Bohemia, viris, armis, opibus regni mei tanquam tuis vt libet vtere, lætumque & donatum nepotem à se dimisit. At ille sex tantum menses superuixit, locumque postea Ruperto Bauaro qui imperaret, fecit.

XLII. Religiosè. Fortiter. Liberaliter. Scimus Alphonsum hortatu ac precibus Eugenij pontificis expeditionem Piceni, qui à Francisco Sphortia potentissimo ac præstantissimo copiarum ductore teneretur, instituisse; atque inde tandem Dei optimi maximi benignitate Sphortiam ipsum expulisse, & pontifici ecclesiæque recuperatam prouinciam restituisse. Cumque & vna & item altera vrbs è receptis ob gratitudinem vltrò à pontifice offerrentur regi, illas ingenti animo repudiasse, non se quidem quæstus, sed Dei & ecclesiæ gratia, expeditionem illam suscepisse.

42 Ecclesia Catholica cùm scissa esset (nam tres de Romano pontificatu contendebant, Petrus de Luna, Baltasar Cossa, & Angelus Carrarius) concilium generale apud Constantiam Sueuorum (vt nunc dicimus) vrbem, Sigismundus Imperator agi curauit, ac magnis itineribus Italiam, Galliam, & Hispaniam petit, vt nationes omnes ad vnius pontificis consensum redigeret, eoque annitente pax Ecclesiæ reddita. Martinus papa V. electus, prouidus pater, & amator pacis. E tribus competitoribus duos sancta synodus tanquam schismaticos reiecit; tertius suopte ingenio pontificatui renunciauit.

XLIII. Fortiter. Humaniter. Stabat in ripa Vulturni fluminis Rex, quò traiicienti exercitui adiumento esset, cum equiti cuidam Butardo nomine ex acie Rudolphi Perusini aquæ vi pertracto ac propè absorpto, vti opem ferrent, inclamauit. Cumque vero neminem suppetias ferre intueretur, ipsemet concitato equo in rapidissimum flumen opis ferendæ gratia se coniecit, quem subsecutus cum esset Ennerus Geuaca, ipsum Butardum semianimem retulere, repensumque in pedes plurimam aquam euomere coëgere, quem igne refocillatum extersumque & inde regis vestibus amictum, viuificatum denique aiunt, Aragoniam Aragoniam exclamasse.

43 Vnius militis salutem consulturus Alphonsus in rapidum amnem se coniecit, suoque cum periculo auertit alienum. Cur igitur Senensis populi curam non susciperet, & amicissimæ ciuitatis libertatem fortunasque tueatur?

XLIV. Fortiter. Captus Rex adductusque ad Ænariam insulam, monitus iussusque est per internuncium Genuensium classis præfecti, vt insulam in pote-

potestatem populi Genuensis dedi protinus curaret. Cui Rex per eundem internuncium respondit, fateri captum quidem, sed vt aliâs, liberum, se nec mandaturum tale aliquid popularibus suis, nec si mandaret, illos captiui regis mandata facturos. Suaderet sibi è regnis suis ne saxum quidem obtineri posse. Admiratum præfectum aiunt, regis animum atq; constantiam, seque prolixioribus verbis purgasse apud regem, culpa omnium in internuncium ipsum reiecta.

44 Captum ab Hungaris Sigismundum duo adolescentes cognomento Garii, quorum pater ab eo neci traditus fuisset, custodiendum accepere, donec omni conspiratorum iudicio in eum animaduerteretur, quos cum ille, vt se dimitterent, frustra pertentasset, vidua eorum matre ad se vocata, Scio, inquit, *mulier viri tui mortem tibi acerbissimam fuisse, teq; mihi tanquam autori eius infensam. Verum ego per superos iuro, inuitus tanti viri exitio assensus sum. Reginam eum atque alios accusauit. Condescenderunt regni proceres, atque in reos mortis sententiam tulere. Ignarus ego factionum vestrarum, nouus ad regnũ veneram, quod regulorum maior pars decreuisset, id mihi exequi necessarium erat. Esto tamen, virum tuum sciens volensq; neci dederim cruciandum; túne propterea natorum tuorũ aut aliorũ iracundia, me obiicies? Et quis obsecro vel te vel illos fructus sequetur. Non desunt mihi fratres & amici, qui meũ sanguinẽ vlciscantur, neq; Hungaria rege diutius carebit. Exempla Reges timent, nemo apud eos acceptus est, qui manus suas regio sanguine cruentauerit. Quòd si me missum feceris, ex filiabus Hermanni comitis Ciliæ necessarii tui vxorem ducam, fratris ac soceri adiutus opibus, regiam demum potestatem vendicabo, filios tuos in primis choros habebo, efficiamq; vt omnis posteritas sua hoc factum sibi fructuosum sentiat. Hoc ego cum liberis tuis egi: sed non capit ætas, quantum necesse est. Te, quæ plus sapis & illis & tibi consulere oportet.* Persuasa mulier Regem dimisit. Is Barbara Ciliensi in matrimonium suscepta, breui pôst tempore debellatis rebellibus victor regnum obtinuit, promissoque satisfaciens Garios iuuenes super regulos extulit. Ex his ortus est Ladislaus de Gara (quem Banum appellant) inter primores Hungariæ proceres, opibus & autoritate præpollens.

Iacobo Caudolæ summa ope & diligentia transmittere Vulturnum amnem annitenti, & parte iam magna exercitus traiecta, Rex obuiam fit, retrocedentemque cum subegit, haud parua eius militum parte in fluuium præcipitata, magna etiam capta, reliqua in Moronem oppidum per fugam recepta. Quo peracto Regem eò loci, cum exercitu sine tentoriis, sine commeatu aliquo, siquidem ex insperato aduenerat, pernoctare oportuit. Ea nocte satis constat equis diem totam defatigatis tantum silices pabulum fuisse, exercitum sub dio ieiunum permansisse. Cumque & Ioannes Esernitanus Alphonsi studiosus raphanum vnum & item panem vnum cum dimidio caseoli Balearici Regi misisset, recusauit, *non decere*, inquiens, *Imperatorem ieiuno exercitu mandere.* XLV. *Fortiter. Abstinenter.*

45 Austria nobilis prouincia, diues agro virisque, ex duarum prouinciarum detractione recepta est. Nam quidquid est à Leyta fluuio vsque ad Anasum amnem, Pannoniæ iuris fuit, ab Anaso in Oenum Norici. Benus ingens flumen ex alpibus

Italiæ profluens apud Patauium vrbem Danubio miſcetur. Leyta paruus flumius ex montibus Stiriæ dimiſſus inter Viennam & Poſonium ciuitates, in Danubium labitur. Huic prouinciæ ad ſeptentrionem Morani Bohemiq; adiacent. Ad meridiem Stiriæ montes, orientem eius Hungari, occidentem Baioarij tenent. Danubius, quàm longa eſt, mediam perlabitur. Hæc primo à Marchionibus, deinde a Ducibus regnata eſt. Stirps ducum in fœmina defecit. At illam Ottacarus Bohemiæ Rex vxorem duxit, non tam eius matrimonii, quàm regni cupidus. Quippe, qui ea viuente, aliam ex Polonia coniugem ſuperduxit. Verum cum Rudolphus Romanorum Imperator Auſtriam deficientibus ex genere ducum virilis ſexus hæredibus ad Imperium deuolutam aſſereret, nec Bohemum alio pacto coërcere poſſet, qui conuenta quæq; fregiſſet, ad extremum ferro dirimere litem ſtatuit. Prælium trans Danubium commiſſum eſt, Ottacarum Bohemi, Miſnenſes, Poloni, Hungari adiuuabant: Rudolphus Sueuis, Franconibus, Auſtralibus & Stirienſibus ſocietate iunctis rem geſſit, hoſtium copiæ numero longe antecedebant, Rudolphi miles virtute ſuperior fuit. In ea pugna ingens ſtrages commiſſa, Ottacarus occiſus, quem Rudolphus honorifice ſepeliri iuſſit. Ac deinde Auſtriæ ducatum filio ſuo Alberto natu maiori conceſſit, vnde originem habent, qui Auſtriam hodie poſſident, Fridericus, Ladislaus, Albertus, Sigiſmundus. In hoc prælio cum ſiti laboraret exercitus, ferunt agreſti, qui meſſoribus potum ferret, ablatam hydriam ſicera plenam, atque Imperatori oblatam, quam cum ille vidiſſet, *Reddite*, inquit, *homini vaſculum ſuum, nam ego ex ritui non mihi ſitiebam.*

XLVI. *Conſtanter.* Captus iam & aſſeruatus Rex à Philippo illo inclyto Mediolanenſium duce, cum audiſſet, quòd ſtatim mittendus & liberandus eſſet, renunciauit Philippo, quas pro liberatione ſua leges dicturus eſſet, nullas omnino ferè recuſaturum eſſe, præterquàm ſi ab expeditione regni Neapolitani deſiſtere iuberet. Malle ſe quidem in carcere vitam degere, quàm ab huiuſmodi incœpto dimoueri, tum vt conſtantiam in re ſemel ſuſcepta ſeruaret, tum vel maximè ne ſuarum partium regulos, qui ſecum captiui eſſent, deſeruiſſe argueretur.

46 Ludouicum ſeniorem Baioariæ ducem cum captiuum haberet Albertus Marchio Brandenburgenſis, non pauca ab eo petijt, quæ cum ille negaſſet, tradere eum in manus duri, & inimiciſſimi ſibi principis minabatur, Tum Ludouicus: *Quæ poteris ex me libero impetrare, eadem modo ex captiuo petito. Si quid amplius voles, corpus meum in tua poteſtate, animum non tibi obnoxium inuenies.*

XLVII. *Benignè.* Dimiſſus à Philippo Rex, cum in portum Veneris ſe recepiſſet, accepit Genuam vrbem à Philippo deſciuiſſe, ibique plurimos Hiſpaniæ proceres detineri, in quibus & Ioannem Nauarræ regem captum carcere aſſeruari. Quod cum accidiſſet, nonnulli Genuenſes viri patricii qui in portu Veneris agebant, Regi ſeſe concredidere, & ſe viciſſim capi & aſſeruari debere in regiorum commutationem. Cæterum Alphonſo mos fuit, vt qui apud ſe diuerſarentur, quamuis inimici, aduerſarii, hi tamen tuti ſemper & incolumes eſſent. Hos igitur omnes ad vnum miſſos fecit.

47 In Caleſio cum eſſem Angliam petiturus, (id oppidum in Morinis, ex quo breuiſſi-

breuissimum dicunt in insulam transitum) nunciatum est autore Nicolao Cardinale sanctæ crucis viro sanctissimo, Philippum Burgundiæ ducem, qui partium Anglicanarum antea fuisset, ad Regem Franciæ defecisse. Quod cum præfectus loci accepisset, mox me qui Cardinalis essem secretarius, asseruari iussit, quæ res magno me damno affecisset, nisi Cardinalis Vintoniensis, cui notus essem, illico me dimitti iussisset.

Postea quàm à Philippo Genuenses desciuerunt, in Alphonsum, quum in portu Veneris adhuc esset, nullo præsidio nisi admodú paucis regiis equitibus munitum, quique & annonæ inopia tentaretur, expeditionem eos destinasse aiunt. Quod cum Rex accepisset, ex arce in oppidum confestim descendisse, paratum vnà cum paucis suis sociis à Genuensium conatu vrbem obstinatissimè defendere, appulsa interim oneraria regis *naui cum commeatu Genuenses à proposito destitisse. *48. deest. *. XLVIII. *Fortiter.*

Reuenerat Rex præcedens exercitum ad Furcas Pelignas, vbi paucæ admodum casæ erant, atque eæ quidem præoccupatæ, equoq; descendens in propiorem mansionem ingressus est vnà cum Putio, atque ibi offenderunt propè ignem milites gregarios duos ex Caroli Campobassi sociis, qui regem eum esse ignorarent. Ideoque conuiciis, compellationibus probrosis iactare eum cœpisse, quod in alienam domum ingredi ausus esset, nec se inde proriperet, titiones illos in eum contorturos minitantes. Rex risu propè dirumpi, Putius stomachari, qui nisi Rex prohibuisset, cum illis haud dubiè manus contulisset. Cognito tandem regis Caroli aduentu, gregarii pauefacti facile ab humanissimo rege non solum veniam iniuriarum exorauere, sed regii prandioli haud expertes abiere. Et sanè nemo vnquam fuit, cui aut celerius iniuriæ exciderent, aut firmius beneficia hærerent. XLIX. *Patienter.*

49 Fridericus senior Dux Austriæ, Imperatoris Friderici patruus, sæpe mutata veste solus inter agrestes conuersatus est, cum quibus accepta pecunia, & arans & alia quæuis munia faciens ruris, & de se ipso, & de purpuratis suis confabulari consueuit. Interrogatus cur id ageret: *Neque enim de me*, inquit, *alio modo verum audire possum.*

Alphonsus Rex cum accepisset Ioannem Patriarcham, illum omnium bipedum nequissimum, ingenti cum exercitu Falerni esse, contra eum iter tetendit, atque in itinere per difficiles ac confragosos tractus Sanseuerinos, cum Paulum Teutonicum obuiam habuisset, vnum ex ducibus Patriarchæ, illum cum exercitu fudit, cepitque, qua clade perculsus Patriarcha à Rege inducias belli supplex petiit, & impetrauit. Post hæc cú Iacobo Candola reconciliata amicitia coniunxit exercitum, atq; immemor fœderis & iurisiurandi aduersus regem nihil tale suspicantem, duplicato exercitu magnis continuisq; itineribus L. *Fortiter. Religiosè.*

contendit. Erat Rex in vico Iuliano, rem diuinam solenniter ac deuotissimè de suo more rituque faciens (siquidem natalis Domini dies celebrabatur) cum ambos duces, ambos exercitus, haud procul abesse nunciatur Regi. Ille vero rei diuinæ cultum gloriæ ac vitæ præponens, non prius quàm peractis sacrificiis capere arma militem iubet, & iam prælium vtrinque initum erat. Certabant illi numero longè superiores, regii vero virtute præstantiores. Sed Dei optimi atque iustissimi auxilio regii ipsi adiuti, plures ex hostibus equos militesque cepisse, quàm sarcinas amisisse memorantur. Rex Capuam se recepit. Patriarcha in Apulos recessit, vbi relicto proditoque à se duce atque exercitu per mare Adriaticum nauiculâ trepidus effugit.

50 Hoc vnum est inter egregia Regis facinora maximum & præclarissimum. Sed neminem deserit Deus in se sperantem. Henricus Rex Angliæ, Regis huius, qui nunc regnat, pater, circumuentus ab exercitu Gallorum regis, quæcunque obtinuisset in Gallia dimittere voluit, si cum suis incolumis abire permitteretur. Negantibus Gallicis, nocte subsecuta vocatis centurionibus, & decanis militum, *Neq; fugere*, inquit, *commilitones, neque ex hostibus incolumitatem consequi possumus, quamuis cedere regno Galliæ voluerimus, sola nos arma tueri possunt. Non est cur numerosum exercitum formidetis, iustam causam iustus Deus adiuuabit. Ite, & alter alteri peccata vestra confitemini, pauxillúmque terræ ob memoriam sacramenti Eucharistiæ saluatoris alter alteri porrigite. Crastina die liberabit nos Dominus ex manibus inimicorum.* Sic dimissa concione, peractis quæ iusserat, curare milites corpora præcipit. Sequenti die, vt primum lux orta est, commisso prælio (incredibile dictu) octo millia suorum, sexaginta millia hostium fudere. Cæsa ingens turba, nobilitas Galliæ propè omnis capta, paucos fuga seruauit. Eaque potissimum dies Gallorum opes fregit.

LI. *Alphonsus Rex ad filiũ.* Ferdinandum filium in expeditionem Florentinam accinctum in hunc penè modum Rex allocutus fertur. *Ego, Ferdinande fili, cum Florentinorum iniurias ferre vlterius nequeam, statui te, quem vita chariorem habeo, contra eos cum imperio atque exercitu mittere, vt Deo bene iuuante, & tua & tuorum militum virtute, iniuriam omnem propulsemus, palamq; faciamus tandem, illos cum hostibus nostris perperam & iniquè fœdus fecisse, neque ob hoc tamen suæ reipublicæ vtiliter & honestè satis consuluisse. Igitur abeunti tibi rem, quam velut preciosissimam mihi seposueram, & tibi gloriosissimam futuram, si ea vti scieris, trado commilitones meos veteranos fermè omnes, multis maximisque experimentis perspectos, quorum opera & virtute victorias omnes & triumphos ad tempus assecutus sum, quibus tandem sociis & adiutoribus expeditionem Neapolitanam confecimus, atque adeò magnam Italiæ partem ditioni nostræ (vt vides) adiecimus. Hos igitur inprimis ita commissos facio, vt ne magis quicquam possim ex animo tibi committere, nõ vitam quidem ipsam: quos cum intellexero a te diligi & obseruari, nihil ambigam, & tibi quoque gloriam*

riam meam cordi esse. Sed caue, ne eos temerè periculis obiicias, non sunt quorum opera, aut animus tibi in re gerenda requirendus sit, repellendi tibi potius quã impellendi. Idcirco ad eos casus tales tibi viros conserua, si quando dignitatem & nomen tuum in discrimen necessitas vocabit. Et iam spero fore vt ipsorum meritis, vt hortatu meo charissimos habeas, atq; ita tractes vt non imperatorem, sed personam sibi mutasse videantur. Nunc quod maximè te moneo, fili charissime, illud est. Ne tantum aut tua aut commilitonum audaciæ tribuas, vt putes absque numinis auxilio victoriam vllam haberi posse: victoria, mihi crede, non hominum disciplinis aut industria comparatur, sed Dei optimi maximi benignitate & arbitrio. Scientia itaq; rei militaris ita demum profutura est, si Deum nobis pietate atque innocentia pacatum propitiumq; habuerimus. Deum igitur inprimis cole, in eum confide, à quo tum victorias omnes, tum optima queq; prouenire dubio procul est. Quem si quando tibi iratum suspicaberis, caue contendas, imo quicquid ab eo tibi accidisse videatur, boni consule & patientia ac pœnitentia eum placa, & tibi beneuolum redde. Sanè quos Deus amat, corripit & affligit. Sed si afflictos interim dolentes, ac se metuentes videt, eos postea recreat, reficit, fundat. Præterea decus & existimationem tui tibi plurimum commendatam optarim, vt qua nihil in hac vita tibi charius aut placlarius esse aut videri debeat: pluris enim dignitas & fama, quàm victoria existimanda est. Victoria enim nonnunquam fama magis, quàm viribus acquiritur. Rursus victoria alterna res est. At fama quæ ex virtute ac probitate proficiscitur, sicuti ipsa virtus constans atque perpetua est, quæque gloriam nobis veram ac solidam accommodare soleat. Honestatem itaque amplectere, sine qua neque summo illi victoriarum datori grati esse possumus, neque inter homines viui autoritatẽ, neque mortui nomẽ diuturnũ adipisci. Dein te fili etiã atq; etiã hortor ac moneo, vt Venetorum rempublicam haud secus quàm meum statum, percharum habeas. Pro eaque & seruanda & augenda neque tibi ipsi, neque fortunis meis, neque exercitui parcas velim. Eo quidem animo cum his societatem & fœdus semel inii, vt quoad viuam eos ne momento quidem destituam, quippe quos inter amicos charos, charissimos, atque amantissimos habeam. Ad hæc peragenda ne te commoueat hortor, aut pecuniarum, aut alterius cuiusuis rei indigentia. Nam tibi non pecunia modo, sed milites, equi, arma, tormenta, affatim subministrabuntur, quin vel vnum assem tecum dimidium semper habiturus sum, & generatim, tunc tibi, cum mihi ipse defuturus sum, vt intelligas nihil tibi ad hanc expeditionem, si modo tibi ipse non defueris, per alios defuisse. Postremò te monitum volo, Si qui ex hostibus tuæ fidei se permiserint, vti illos benignè suscipias. Si qui etiam obstinatis ani-

Paternus affectus.

mis vsque ad extremam expugnationem persteterint, eos cum ceperis, tuæ potius mansuetudinis, quam illorum pertinaciæ memineris: Nec minus progeniem nostram ab omni crudelitate, & sæuitia longe semper alienam extitisse. Vale.

51 Ferdinandus cum esset in Hetruria, ferunt diligenter obseruasse patris mandata, quem socii miro modo coluerunt. Hostes quoque cum timerent, non potuerunt non amare. Sed quæ mutatio dexteræ huius excelsi. Senenses, Veneti, quos sibi amicissimos charissimosq; Rex dixit, ex beneuolentia excidere. Florentini, contra quos missus est exercitus, in amicitiam recepti. Memini hoc loco eorum verborum, quæ scribit ad Ruffinum Hieronymus. *Amicitia*, inquit ille, *quæ desinere potest, vera nunquam fuit.* Deceptus Hieronymus est, qui Ruffinum erga se semper eundem putauit fore. Non mirum si Alphonsi quoque opinio falsa fuit.

LII. Alphonso regi mos fuit familiares (quos ipse *alumnos suos* appellabat) visitare ægrotantes, atq; illos tum ad corporis valetudinem, tum multo magis ad animæ salutem exhortari. Quod cum sæpe aliâs, tum nuper accidit in aduersa valetudine Gabrielis Surrentini, suauissimi ac splendidissimi adolescentis. Nam cum grauiter iaceret, Rex pro sua consuetudine illum adiens huiuscemodi ferè sermonem est orsus: *Vt valeas, mi Gabriel, medici quidem te extra mortis periculum esse affirmant, si modo illos obedienter audias, quod vt facias te hortor atque etiam rogo, ne secus faciendo tuæ mortis causa infameris. Et in medicis quidem haud paruum præsidium vitæ est: verum in Deo multo maius ac certius. Is enim non vita modo, sed mortis etiam sanitas, & salus est. Illum ergo inprimis ante oculos habeas, illi tota cogitatione adhæreas, qui te fecit, qui te a morte moriens redemit, qui te iudicaturus est. Illum si quando offendisti, nunc contritione, oratione, confessione, & sacris mysteriis tibi places, ac propitium reddas. Hæc vbi feceris (& facies scio equidem deuotissimè, si bene pietatem ac constantiam tuam noui) hæc, inquam, cum feceris, illius te postea voluntati ac misericordiæ læto ac forti animo permittas. Solus enim quid nobis profuturum, contra quid nociturum sit, nouit. Nec solus te timor aut potius opinio mortis offendat. Mors quidem bene puréque morientibus vita est. Hinc & dissolui cupiunt, qui bene vixerunt, & esse cum Christo, vt bene actæ vitæ præmium consequantur, lumen æternum. Et profectò mors vitæ principium est, atque eiusmodi vitæ, quæ neque doloribus, neque metui neque inuidiæ neque ærumnis vllis subiecta est, neque ipsi quoque morti quicquam obnoxia. Et si altius aliquanto repetamus, inueniemus mortem nihil aliud esse quàm peccandi finem. Nam cum Adam contra mandatum Dei in flagitium lapsus esset, ne viuendo culpa reuiuisceret, & in peccatis persisteret, eius corpus è terra factum, terræ Deus*

Pie.
Humaniter.
Fortiter.
Insinuatio.

ra Deus reddidit, non vt creaturæ quam fecerat, finem imponeret Deus. Igitur & principium & finis; cum is vult, nascimur: cum vult, etiam morimur. Et sunt hæc quidem prorsus diuinitatis eius, nihil ad nos pertinentia. Illud vero tantummodo nostro reliquit arbitrio, vt bene rectéque viuendo, bonum nancisceremur finem. Hoc itaque quod vnum nostrum est, id est, vt in Christo Domino moriamur, summa ope adnitamur, quod qui faciunt, non plane moriuntur, sed transeunt à corruptione ad incorruptionem, à mortalitate ad immortalitatem, à turbationibus ad tranquillitatem. Non absurde fortassis existimauerunt quidam, mortem non modo malum non esse, sed bonorum omnium maximum: verum enimuero, quoniam neque euocationis diem, neque horam nobis scire datum est, perquam salutare fuerit nos præparatos esse, cum Deo sentientes & mandatis eius obsequentes, nec diem differre tutum est, sed insipienter factum potius existimare. Plerosq; vidimus cum corporis incolumitate viribus integris nihil tale metuentes morte repente interceptos: contrà nonnullos vsque ad medicorum desperationem redactos conualuisse. Ego quidem in præsentia (vt vides) sanus, integer, & validus sum, adde & tot tantorúmque Rex regnorum, opibus, potentia, existimatione fortassis non inter postremos, sed nunquid hæc profutura quicquam intelligam ad horam mortis dignoscendam? aut si intelligam, putem me vel temporis momento illi resistere aut repugnare posse? minime. Cum hæc igitur omnia in Dei potestate tantum sunt, nihil nobis reliquum videtur, nisi vt cum Deo bene sentientes, eius præceptis (vt diximus) tum in omni vita, tum vitæ finiendæ tempore maximè obediamus. Sed quoniam te verbis meis alacriorem aliquanto factum intueor, pergam te monere & iis quidem monitis, quibus hæc breuis hora non modo sine metu, sed cum gaudio quoque transigenda videatur. Credimus firmiter omnes, quòd Deus hominem fecerit ad imaginem & similitudinem sui. Nec cum fecerit, credimus corpus fecisse sui simile, sed inflasse illi spiritum & animam ad similitudinem sui. Id cum ita sit, quid nobis potest felicius accidere, quàm dimittere luteum corpus, vitiorum sarcinam, & ad eum euolare & redire, qui nos ideo dignatus est ad similitudinem sui facere, quò spiritus noster diuino ipsius spiritu repletus, diuinitatis particeps, & felicitatis eius, agat æuum perpetuò inter Angelos & Sanctorum choros. Et quoniam nos similes sui fecit, & simile appetat sui simile, oportebit lege naturæ.

Natura ergo rapimur ad fruitionem Dei, ad quam tamen (ne id refugias) nisi morte migrandum est nemini, idque ineffabilem

Dei benignitatem dedisse tantum iis, qui credunt in nomine eius, ac Dei filios fieri posse se. Et adhuc veremur mori, atq; id statim facere, quod velimus nolimus, quandoq; facturi sumus. Sanè nisi Deus id expresse vetuisset, non expectanda, sed consciscenda nobis mors esset, quo citius anima nostra perueniret ad patrem rerum omnium & factorem & dominum, quò simplicitatem, puritatem, aeternitatem, atq; (vt ita dixerim) deitatem recognosceret & recuperaret suam, in contemplatione rerum coelestium, & consortio sanctorum. Quid nos itaque, non dicam amplius mors, sed cogitatio mortis deterreat, à qua momento temporis absoluimur, & in qua aut nullus est sensus, aut certe breuis quidam afflatus: & is quidem aequanimiter ferenti lenior atque facilior. Adeóne molles aut insolentes erimus, vt quod omnibus prorsus subeundum est iter, nobis vnis haud esse subeundum arbitremur. Adeóne stulti atque dementes, vt nobis naturam, non naturae nos parere debere cogitemus. At ego viridiore vita exeo in flore aetatis. Quid refert, obsecro, quàm cito quis exeat, si semel exeundum est. Numquidne animaduertisti, quòd qua magis crescimus, eò magis decrescit vita. Quanquam, per immortalem Deum, quid in hac vita potest esse diu, cum ipsa hominum etiam longissima vita perbreuis sit, & puncti instar iudicanda: si cum aeternitate eam conferas, vt non temere fortassis credendum videatur; Non ex interuallo aliquo, sed vna eademq; hora homines nasci & mori omnes. Caeterum mihi is demum diu viuere videtur, & in aetate haud perfecta vitam perfectam ducere, qui vsque ad sapientiam, id est vsque ad cognitionem Dei vixit; qui conscientia sua fretus, mortis fiduciam praeseferens laeto atq; hilari animo obeat, aut abeat potius. Et si vis, etiam dinumerentur anni, & seruetur ordo, vt libet; quid tibi paucorum annorum accessio boni potuisset afferre. At quid non mali potius tibi summa nunc tui principis gratia, tibi fratres & parentes incolumes, tibi patria ipsius tua & haud paruus praeterea dominatus, tibi facultates & copiae non mediocres? Sed horum pleraque fortunae temeritate reguntur. Certe quae nobis pro gratia inuidiam & maleuolentiam subiecerit, pro sanitate morbos & aegritudines, pro dominatu seruitutem & exilium, pro affluentia & diuitiis paupertatem & inopiam, pro bona aetate taedium atq; odium, hi nimirũ, hi fructus sunt, quos praesens vita acerbissimos exarare cõsueuit, quos euitare & morte praecidere sapiens vir, si liceat, debet, & tunc bene secum feliciterq; actum esse existimare, si cum haec fucata & fallacia bona sibi arriserint, ea deserat. Nec verò te vlla de parentibus, aut fratrib. quos relicturus fortassis es, subeat sollicitudo. Eos quidem mihi iam iámque esse, & fore scias non minus amicos (ne quid ardentius dicam) quàm te ipsum, in cuius recordationem Marinum fratrem

trem & ipsum praclara spei adolescentulum, in tuos honores, in tuas fortunas, & fortunarum spem protinus assumo. Tu vale aternum, & si mandatis meis impigrè semper obtemperasti, nunc si à Deo optimo maximo ac Regum rege tibi vita exitus denunciari videatur, latus agénsque gratias, pare & obtempera. Hac oratione confirmatus & erectus adolescens, paulo pòst hilariter & cum Dei mira cognitione migrauit. Rex illi inferias magnificè persoluit, & sepulchro huiusmodi distichon exsculpi mandauit:

Qui fuit Alphonsi quondam pars maxima Regis,
Gabriel, hac modica nunc tumulatur humo.

52 *Tota philosophia*, inquit Plato, *nihil est aliud, quàm quadam commentatio mortis.* neque aberrat, mea quidem sententia. Cur enim præcepta bene viuendi discimus, nisi vt bene mori sciamus. Comœdia quidem est nostra vita, cuius vltimus actus de morte agitur. Bonus poëta nemo habetur, nisi ad finem vsque actus omnes prudenter explicet. Nobiscum melius Deus egit. Namque licet omnis vita superior turpis extiterit, satis tamen fuerit ad emerendum cœlum, beatamque vitam consequendam, si læto ac forti animo mortem obeamus, & vltimum spiritum Deo reconciliemus. Neque contra nos est diuus Augustinus, dum ait: *Impossibile est quenquam male viuere, & bene mori.* At rursus, *bene viuentis, malam mortem esse.* Seiungit enim ille vitam & mortem. Et verum est, quia mortui nihil mereri possumus. Nos vero eum bene mori dicimus, qui in ipso vitæ exitu veram peccatorũ dolentiam contritionemque suscipit, quod quàm sit fallax non me latet. Constat tamen & viros, qui diu sanctissime vixerint, male obiisse; in fine ipso de Dei bonitate desperantes; & qui sceleratissimi fuerint, bene laudateque mortuos, ac Dei optimi maximi in supremo anhelitu misericordiam impetrasse. Sed quæ obsecro commentatio mortis adeo verax, adeo efficax apud Philosophos reperitur, quæ consolationi illi æquari possit, quam refers Alphonsum tuum ad Gabrielem Surrentinum habuisse? Legimus, quæ venenum bibiturus apud Plutarchum de bono mortis Socrates philosophatur. Sed nihil ad Alphonsum; Philosophum quamuis Esernitanus inficietur Alphonsum.

ANT. PANORMITÆ DE DICTIS ET FACTIS ALphonſi Aragonum Regis Liber quartus.

PROOEMIVM.



ONSVEVERVNT tranſmarinæ prouinciæ ſua quæque Romæ Italiæque ſufficere. Sicilia inſularum celeberrima, frumentum, zaccarumque. Sardinia coria ac caſeum, vinum Corſica: Ebuſus ſalem, atque aliæ, alia. Sola Hiſpania Romæ atque Italiæ imperatores ac reges dare ſolita eſt. At quales imperatores aut quales reges? Traianum, Adrianum, Theodoſium, Arcadium, Honorium, Theodoſium alterum. Poſtremò Alphonſum virtutum omnium viuam imaginem, qui cum ſuperioribus iis nullo laudationis genere inferior extet, tū maxime religione, id eſt, vera illa ſapientia, qua potiſſimum à brutis animalibus diſtinguimur, lōgè ſuperior eſt atq; celebrior. Chriſtum etenim verum & ſingularem Deum, ſibi colendum vnice delegit, ſanctiſſima eius mandata ac præcepta cuſtodiens: neque remorantur eum ardua (vt ſunt) regum negotia, quin quotidie diluculo ſurgens, orationes, quas vulgo vocant horas, in interiore ſacello genu flexus cum gemitu ac ſuſpirio ad Deum ipſum effundat. Inde in templum prodiens, iam die luceſcente quaternas miſſas (ſic enim Chriſtiana myſteria vocamus) admiranda deuotione quotidie auditque & videt: ieiunia omnia nobis indicta inuio-

inuiolabiliter obſeruat: Mariæ virginis vigilias, & quæ ſeptem gaudia appellant, aqua duntaxat & pane ſolo traducit, nonnunquam nec pane aut aqua libata. Veneris præterea & ſabbati quoque die, in Chriſti ſaluatoris ac virginis Mariæ reuerentiam ieiunio affligitur. Cumque ſit ipſe in veſtitu cæteroque cultu corporis moderatior, in extollendis tamen exornandiſque ſacerdotibus, atque aris, omneis omnium, qui vnquam fuerunt aut ſunt, elegantias & cultus excedit, auro, gemmis, margaritis, vnionibus immenſi pretii, omnia collucent ac micant. Qui vero muſica in tota Europa inſignes habentur, ingenti mercede accerſuntur, quotidieque in templi choro Dei ac Sanctorum laudes, diuinaque officia concinentes audiuntur, læta & hebetia corda, ſi quæ aſſunt, ad Dei amorem excitantes, excitata iam incitantes & inflammantes. Verum enimuero vt eò diuertar vnde digreſſus ſum, magna quidem viris Hiſpania eſt, adde etiam ſoli fertilitate, aeris ſalubritate, præclaris vrbibus, metallis, & admirandis rebus merito illuſtris. Sed (illius pace dixerim) non Alphonſus ab Hiſpaniæ laude eſt cenſendus, verum Hiſpania potius ab Alphonſo, cuius gloriæ & admirationi ne hoc quidem obſtiterit, quòd noſtro ſeculo natus eſt. Seneſcet quidem & hoc, aureique ſeculi reliquias extitiſſe poſteritas eo maximè dicet & affirmabit, ſi ad dignitatem rerum (quod fore vaticinor) acceſſerit aliquando teſtis locuples oratio. Verum hæc hactenus.


ÆNEAS SYLVIVS,

IN QVARTI LIBRI PROOEMIVM.

HISPANIA terrarum optimis comparanda, non Imperatores tantum ac Reges Romæ atque Italiæ dare solita est, sed & Cardinales ac Pontifices maximos, quorum vita emendatissima, doctrina admirabilis fuit: nam pontificem Damasum, virtute probatum & omnium bonarum artium studio celeberrimum, Hispania ad nos misit. Nunc ex eadem prouincia Calixtum tertium, quem pro vi nominis optimum existimamus, sortiti sumus. In sacro Cardinalium collegio multos fuisse Hispanos commendatione dignos, non est obscurum. Alphonsum sancti Eustachii, & Ioannem sancti Petri ad vincula Cardinales, ipsi Basileæ in concilio vidimus, quorum ea morum grauitas, ea rerum agendarum circumspectio fuit, vt omnem ad se Synodum traherent. Ioanni nos in secretariatu operam exhibuimus. Hodie quoque tres Hispania Cardinales habet, Ioannem sancti Sixti, Antonium Ilerdensem & alterum Ioannem sancti Angeli, qui modo legatus apud Hungaros de traducendis contra Turcos copiis opus agat. Prioribus quasi duobus Theologicæ sapientiæ syderibus orbis Romanus illustratur: tertium scientia iuris nulli secundum putant. Verum Rex Alphonsus (vt ais) non ab Hispania laudem ducit, sed Hispaniam ipse illustrat. Is quanquam ita religiosus est, & diuini cultus obseruator, vt scribis; non immemor tamen Euangelicæ doctrinæ *post ieiunia & orationes cateráque pietatis opera*, in quibus nonnunquam exercetur, *seruum se inutilem ait*. Nouissimis enim diebus cum conuenisset eum Ioannes orator Apostolicus, ac de pace Tusciæ secum ageret, inter alia sapienter dicta, *Scio me*, inquit, *postquam regnare cœpi, quàm plurimos homines è modica fortuna ad magnas opes ac potentiam euexisse, qui postea benefacti immemores extiterunt. Ea verò res mihi minimè admirationi est, cum & ipse eodem ingratitudinis vitio laborem. Nam quis plura ex optimo maximóque Deo, quàm ego, beneficia accepit, quia natus ex Regibus, amplissima regna hæreditario iure sum consecutus. Nec minora mihi ipse armis comparaui. Pauci me Reges inter Christianos antece-*

tecedunt. Ingenium mihi natura non obtusum dedit, memoriam non infirmam, corpus salubre, vitam longiorem ac morbis ferè inoffensam, opes mihi, deliciæ, voluptates abundè suppetunt: literarum quoque nonnullam cognitionem adeptus sum. At vbi mea gratitudo? Quid ego aut facio, aut feci, pro tot tantisque diuinæ clementiæ in me muneribus? Intelligo me certè ingratum esse, eoque accusatione ac pœna, (quam cæteros promeruisse existimo, qui erga me ingrati sunt) tanto maiori, quanto grauius est Deum quam hominem fallere. Verum si mihi vita contigerit, est animus, quod hactenus neglectum est, abundè præstare. Iniurias enim, quas crudelissima gens Turcarum Iesu Christo verissimo & maximo Deo nostro nunc in Græcia, nunc in Asia quotidie infert, vltum ire decreuimus, atque ad id iam naues, iam viros & arma comparauimus. Itaque nihil est cur nos, quæ nunc tractatur, Tusciæ pacem quouis pacto turbaturos existimes. Hæc Rex, qui si promisso satisfecerit, saluatorem Christianæ religioni ab Hispania missum omnis Europa confitebitur.


L



ALPHONSI REGIS DICTORVM ET FACTORVM

LIBER QVARTVS.

Caput I. Religioſè.



IGITVR Alphonſi religionis admonitus illud adiiciam, quòd de ſingulis annis per quadrageſimam piè & religioſè facere conſueuerit. Die quidem Dominicæ cœnæ ad veſperum linteo præcinctus LX. pauperibus mẽdicis ſordidatis, humillimè ac ſubmiſsè ſuis manibus pedes lauat, lotos atq; exterſos pronus deoſculatur. Poſthæc diſcumbentibus illis propinat atque miniſtrat, cœnatos verò omnes dimittit cum pecunia & veſtibus nouis. Hac de re cum aliquando recitarẽtur literæ in Venetorum Senatu (aderam quidem ego Regis legatus) nonnullos è patribus vidi pietate punctos, à lachrymis minimè temperaſſe.

1 Interfuimus hoc anno dum hæc fierent. Cœcus in capite menſæ aſſedit grandæuus, qui ante ſedecim annos lumen ſe amiſiſſe aiebat. Miniſtrabat huic Rex, ac nobis audientibus interrogabat, an cœcitatem moleſte ferret. Cui cœcus, neſciens Regem eſſe qui ſecũ loqueretur, *Niſi diuina gratia eſſet adiumẽto, nemo,* inquit, *cœcus viuere optaret, tanta eſt miſeria cœcitatis, iis præſertim qui aliquando lumen viderunt.* Tum Rex, Vellésne, inquit, ex hac vita migrare. *Minime,* inquit ille. Tum Rex, at ſi miſer es, cur è miſeria eripi nolis? *Neſcio,* inquit cœcus, *an moriens ad maiorem miſeriam hinc demigrem, nec quo vadam mihi certum eſt.* Tunc vnus ex purpuratis, an neſcis, inquit, quòd piè viuenti loca tibi piorum patebunt. *Scio,* inquit cœcus, *tria eſſe loca, ad quæ dimiſſis corporibus animæ hominum deferuntur. Piorum animas in cœlum euolare, malorum inferna petere, iis verò qui cum antè fuiſſent mali, tamen ante obitum ſeſe recognouère, & dolentes pro malefactis prius obierunt, quàm pœnitentiam agerent, purgatorium locum adeundum eſſe.* Tum purpuratus, ſi hæc credis, & peccato abſtines, cur mori nolis? *Credo,* inquit cœcus, *bene morienti mihi bene euenturum. ſed quis eſt hic qui bene ſeſe moriturum ſciat.* Tum Rex, *ſapit,* inquit, *cœcus, ex media Theologia ſententiam profert.* Audiuit cœcus Regem nominari, & quiſnam Rex eſſet, Regem ipſum interrogauit. Tum Rex, *ego,* inquit, *qui loquor tecum.*

II. Liberaliter.

Cum à quæſtore Regi deferrentur aureorum x. millia, dixiſſetque qui forte aderat, ea duntaxat ſumma ſe diuitem & beatum fore. *Accipe,* Rex inquit, *quantacunque ea eſt, & beatus eſto.*

2 Allata erant Sigiſmundo Cæſari ex Hungaria aureorum quadraginta millia. Cum iam aduelperaſceret, eaque in thalamo regio recondita fuere, cum cubitum iſſet. Cæſar dum cogitat in quemnam vſum eam pecuniam conuertat, ſomnus eum deſtituit. Tum ille excitatis cubiculariis: *Ite,* inquit, *ocius conſiliarios, ducesq; militum huc accerſite.* Vocati proceres media nocte trepidi (timebant enim ne quid

quid aduersi accidisset) Imperatorem celeriter adeunt, & quæ causa sit tam repentinæ vocationis inquirunt. Imperator confestim aperta arca, inter eos qui aduenerant pecunia distributa; *Ite*, inquit, *securè tranquilleque nobis dormire liceat. Nam quod mihi somnum ademerat, vobiscum exit.*

Liberalitatis vero ac magnificentiæ Alphonsi tam multa sanè documenta extant, quam multi (pene dixerim) homines sunt virtute aliqua aut doctrina & dignitate præclari. Omnes enim comiter aut perlautè eum accipere solitum scimus, & lautitiam & impensam regio more præstare. Vidi ego vno & eodem tempore Duces illustrissimos, Cardinales summi Pontificis legatos, innumeros oratores Alphonsum accepisse, neminemque p. ssim nisi regia pecunia victitare, abeuntes omnes preciosissimis donis ac muneribus prosecutum. *III. Magnificè. Liberaliter.*

3 Quæsitum est inter nonnullos, me audiente, cum in omne hominum genus Alphonsus liberalem ac munificum sese ostenderit, cur solos Astrologos præteriret. Neque enim huius scientiæ præceptores, sicut aliarum disciplinarum magistros, in eius curia obuersari videmus. Tunc vnus qui magis scire videbatur: *Sydera*, inquit, *stultos regunt impelluntque; sapientes astris imperant. Stultos ergo principes honorare Astrologos consequens est, non sapientes, inter quos nomen suum Alphonsus obtinet.* Tum alius, Petrus de monte Ilicino, inquit, non incelebratus Astrologus, congregato apud Constantiam generali Christianorum concilio, iudicium de rebus futuris edidit. In quo & Sigismundum eo anno coronandum Romæ, & Ioannem Papam XXIII. qui ad concilium vocatus ierat, cum gloria rediturum asseruit. At cum magna synodus Ioannem summo Pontificatu abdicasset, Sigismundus autem ingressu Italiæ, multis pòst annis abstinuisset, arguentibus plerisque Petrum, qui adeò manifestè mentitus esset: *At mihi de duobus stultis*, inquit ille, *iudicandum fuit, de quibus ne vera quidem profari Ptolomæus potuisset.*

Vnum verò illud liberalitatis ac magnificentiæ exemplum vel præcipuè afferemus in medium, dictu admiratuque dignissimũ. Nam cum audiret Fridericum tertium imperatorem ad se visendi & salutãdi gratia Neapolim accedere, multa secum millia hominum ducentem, continuò illi obuiam misit lectissimos oratores, antistites, principes, duces, comites, viros venerabiles, & illustres, qui illum qua maxime possent humanitate ac largitione susciperent. Processerunt hi vsque in agrum Priuernatium, conduxeruntque Imperatorem magnam cum pompa ac festiuitate Terracinam, ibique primo claues regni Neapolitani cum iurisdictione plenoque imperio detulerunt. Deinde prolixam orationem de aduentu ac laudibus eius habuere. Ego orationem communi oratorum nomine dixi. Aderam quidẽ ego ex oratorib. vnus, quã postea qualemcunq; collegarum hortatu scriptã reliqui. Acceptus & perlautè regaliq; apparatu cum vniuerso comitatu quo Leonora Augusta aderat, & Albertus Cæsaris frater, & quàm plures ex Germania reguli, ac proceres. Sequenti die cum Terracina *IV. Magnificè.*

decederet, à Ferdinando Regis filio miro cum splendidissimorum equitum comitantium applausu receptus est, perque medias ciuitates sub vmbella magna cum gratulatione, ac propè triumphantium more vsque in campum Stellatem perductus, inter profusissimos ac penè continuos obsoniorũ apparatus, vbi à Rege ipso receptus est cum omnibus vna regni regulis, proceribusque hilaritate, lætitiaque incredibili deductus ad Regis dexteram sub pallio vmbellari Capuam, inde perpetua pompa Neapolim. Ibi per omnia theatra, aut magis sessiones, vbi pulcherrimæ honestissimæque ciuitatis puellæ auratis, sericis, coccineisque vestibus excultæ cantantes, choreizantes, plaudentes, transeuntem paullulum remorantem adorabant, productum. Sileo hic ludos equestres ac Christianos, omitto conuiuia ac potiones, transeo venationes, & reliqua ad honorem ipsius Imperatoris tam magnifice excogitata, quanta nusquam essent aut lecta, aut visa, aut audita aliâs. Verum illud prætereundum non fuit, quod tantæ huic multitudini non solum lautitia & impensa ex regio fisco duos fermè menses fuerit opiparè præbita, sed quicquid etiam vestitui, quicquid voluptati vsui esset, sine pretio promptissimè traditum audiui sæpius à regię rationis scriba, vniuersam hanc in Imperatorem hospitalitatem aureorum C. millium summam, præter ingentis pretii munera, supergressam fuisse.

4 At hoc ad gloriam non mediocrem Alphonso cessit, quòd Fridericus Imperator Romæ coronatus, ad eum visendum venerit. Nam ille cum in Germaniam redisset, interrogantibus amicis, apud Italos quæ memoratu digna vidisset? *Alphonsum*, inquit, *omnium qui modo viuant regum, & prudentissimum, & magnificentissimum.* Cumque aliqui non probarent, quòd maior dignitas ad minorem venisset. *Imo*, ait, ille, *ad maiorem profectus sum. Nam etsi minor est Regis autoritas quàm Imperatoris, Alphonsus tamen Friderico maior est.*

V. *Iuste. Fortiter.*

Inter Regis præclara facinora illud mea quidem sententia maximum dinumerabitur, quod vniuersæ Italiæ bello diutissime attritæ, pacem authoritate procurauerit, benignitate concesserit, & (quod nunquam ante ferè visum) vnanimitate firmauerit. Quod proinde ego quid magnum ac propè diuinum esse iudico, quòd pro hac conficienda, & sua maxima commoda, & graues quorundam iniurias posthabuisse satis scio.

5 Parum fuerat Italiæ pacem dedisse, nisi & datam conseruarit.

VI. *Iuste.*

Cum Stephanus eques Neapolitanus poculo amatorio insanisset, teneretque & oppida & nonnulla regia officia, fuerunt qui à Rege illa bona postularent, quod absurdum videretur, à demente huiusmodi bona possideri. Quibus Rex contrà, sibi inhumanissimum videri respondit, *iis se etiam substantiã auferre, quibus fors mentem & cerebrum abstulisset.*

6 Schadui-

6 Schaduienna oppidum est cum arce munitissima, per quod Australibus in Styriam iter est. Huic præfuit vnus ex veteribus amicis Ernesti qui Friderici Cæsaris pater fuit. Adierunt Fridericum aliquot succesiuè adolescentes, sibique præfecturam loci committi petierunt, quòd qui illam teneret ætate ac viribus confectus esset. Ad quos Fridericus, *paternum amicum oppido, non amico oppidum commendamus.* Testamentū cum conderet dux quidā Slesiæ, egregiam domum ædificari mādauit, in qua canes, qui vtiles venationi fuissent, ob senectam & corporis debilitatem à suis relicti dominis, vsque ad mortem alerentur, designatis in eam rem nonnullis agris, ex quorum prouentu sumptus suppeditaretur, nec voluntas eius irrita fuit.

Alphonsi iustitiæ clarissimum tibi argumentum sit, quòd vniuersum Neapolitanum regnum (quod nunquam antea auditum) à latronibus purgatum videmus, vt quoquouersum iter agas, cum auro (quod aiunt) manu prætenso, die noctuque tuto proficiscaris, quamuis solus & inermis. VII. *Iuste.*

7 Iacobus Marchio Badensis vbi latrocinium in ditione sua commissum didicit, vocatis iis qui damno affecti fuissent, tantum eos ex fisco suo accipere iussit, quanti esse, quæ amisissent, iureiurando affirmassent. Exinde latrones insecutus apprehensos in rotam sustulit. Id est supplicii genus apud Teutonicos formidabile. Atque ita breui pacatissimam prouinciam reddidit. Patris vestigia Carolus nobilissimus adolescens sequitur, cui nupta est Catarina soror Friderici Cæsaris.

Hos maximè insanire dicebat, qui vxorem à se digressam, fugitiuamque perquirerent. VIII. *Facetè.*

8 Dux quidam Oppauiæ vxori, quam ex Lituania acceperat, obuiam cum exisset, in comitatu illius adolescentem offendit forma egregium, robusto corpore, in plumis iacentem pensili curru aduectum. Interrogauit quisnam esset? Coniugis suę fratrem, aut propinquum existimans. Responsum est ab iis, qui propius aderant, Apud Lituanos more patrio nuptas, quæ nobiles quidem essent, vnum pluresve concubinos pro viri facultatibus domi alere consueuisse, qui negligente marito onera matrimonii subeat. Illumque sibi adductum fuisse, qui vices suas suppleat, si quando (vt fit) vel morbo, vel alia quauis causa coniugi debitum persoluere nequiret. Voluit dux laniandum canibus hominem obiicere. Sed prohibitus ab amicis, in Lituaniam quam celerrime redire eum iussit, qua in prouincia (vt aiunt) perpaucæ nuptæ à viris digrediuntur.

Laudare eum magnopere solebat, quicunque fugientibus hostibus argenteum pontem extruendum dixisset. IX. *Grauiter.*

9 *Satis vicit*, inquit Sigismundus Imperator, *qui hostes fugauit.*

Ob magnas insperatasque victorias, nunquam omnino mutatum Alphonsum vidimus. Idem illi semper & in omni fortuna vultus, idem habitus, sermo idem, mansuetudo, benignitas, humanitas, eædem. X. *Constanter.*

10 Cùm rogaretur Sigismundus Imperator quem virum regno dignum aptumque existimaret; *Eum*, inquit, *quem neque secunda res extollerent, neque aduersa deprimerent.*

Magnum quidem esse dicebat, & aduersus hostem ducem esse; sed & illud maximum, ad omnem virtutem ciuibus ducem esse. XI. *Grauiter.*

11 Cùm gloriabundus quidam eques coram Sigiſmundo vrbanos magiſtratus paruifaceret, tribunoſque militum laudibus in cœlum tolleret; *Tace*, inquit, *Thraſo: nulla nobis militia opus eſſet, ſi ſuas quæque ciuitates prætores cæterique magiſtratus moderatè iuſteque gubernarent.*

XII. Patienter.

Cum quidam in itinere Regem præcederet, ramuluſque arboris ab eo apprehenſus, in regis oculum, qui proxime ſequebatur, forte dimiſſus incidiſſet, liueſcente & tumeſcente mox oculo, condolentibus amicis Regem dixiſſe aiunt, *Nihil ſe profectò dolere, niſi percuſſoris ipſius dolorem ac metum.*

12 Senenſes fortaſſe ramuſculum ignari in Regis oculum dimiſere. Vtinam nil aliud Rex doleat, quàm Senenſis populi dolorem ac metum. Verùm Ioannes Lyritanus, cùm dietim nouis contumeliis ciuitatem noſtram afficiat, accuſare tamen eam apud Regem non ceſſat. Verum eſt quod Satyricus ille ait;

—— Libertas pauperis hæc eſt,
Pulſatus rogat, & pugnis conciſus adorat,
Vt liceat paucis cum dentibus inde reuerti.

XIII. Modeſtè. Fidenter.

Profligato captoque Antonio, renunciatur Regi penes illum extare plurimas epiſtolas, in caput & ſtatum eius conſcriptas; è re igitur Regis eſſe illas exhibitum ac lectum iri, quo ſaluti ipſius proſpici poſſit, ſimul & in proditores animaduerti. Hæc Rex cum audiſſet, literas proferri iuſſit, & minimè lectas, igne comburi.

13 Literæ Caſparis Schlickii ex Nurenberga miſſæ cum in manus Friderici Cæſaris veniſſent, quæ nonnullis Hungaris inſcribebantur, fuerunt qui eas aperiendas dicerent, quod in iis aliquid proditionis ſcriptum eſſe putarent, quod ſciri oporteret. Quibus Fridericus; *Caſparem ego & probum virum, & mei amantem exiſtimo. Si fallor, malo per ſeſe error pateat, quàm mea diligentia inueſtigetur.*

XIV. Solerter.

Cathalanis optimum factum fore cenſentibus: ſi Regi adhuc aduleſcentulo ſeptem viri ad gubernandas reſpublicas adiungerentur, qui Deum timerent, iuſtitiam colerent, cupiditates tenerent ſub freno, neque donis, neque muneribus tangerentur; Alphonſum laudaſſe conſilium accepimus, atque dixiſſe, *Si huiuſcemodi, non dico, ſeptem, ſed vnum aliquem mihi virum dederitis, ô amici, continuò illi & regimen, & regnum ipſe conceſſero.*

14 Non mirum, ſi non putauit Alphonſus in regnis ſuis ſuo tempore ſeptem ſapientes inueniri poſſe, quum ex omni Græcia & Aſia, totoq; penè orbe terrarum, omnibus ætatibus vix totidem annotati ſint.

XV. Studioſè.

Ad lectionem verò vſque adeò Regem intentum aliquando vidimus, vt neque tibias ſonantes, neque ſaltantium ſtrepitum audire omnino videretur.

15 In ſcholam Pragenſem ingreſſus aliquando Carolus quartus Romanorum Imperator, cum diſputantes liberalium artium Magiſtros in horas quatuor audiuiſſet, idq; purpurati moleſtè ferrent, ac cœnæ tempus adeſſe dicerent: *Mihi*, inquit, *tempus eſt minimè. Nam cœna mea hæc eſt.*

Fœne-

Fœneratores, vtpote labores mortalium depaſcentes, Harpyias vocitabat. XVI. *Grauiter.*

16 Cum beatos quiſpiam Fœneratores coram Sigiſmundo diceret, qui dormientes rem augerent. *Et tu ergo miſer*, inquit Sigiſmundus, *qui rem vigilando comminuis.*

Homines quos vanis ſermonibus impleri, & penè diſtendi intueretur, modo Vtres, modo Veſicas appellabat. XVII. *Vrbanè.*

17 Si deſint Thraſones, in vanum Gnathones clamitant.

Memini cum aliquando Meſſanæ Virgilium legeremus, pueros vel humillimæ conditionis, qui modo diſcendi animo accederent, vſque in interiorem locum, vbi poſt cœnam legebatur, edicto Regis omnes admiſſos fuiſſe, excluſis eo loco, ea hora, ampliſſimis atque ornatiſſimis viris, omnibus deniq; qui legendi cauſa non adeſſent, excluſis. Finita verò lectione potio Hiſpaniæ regum more, regi offerebatur. Miniſtrabat Rex ſua manu præceptori ipſi, ſeu poma, ſeu confectiones zaccarias. Condiſcipulis verò, purpuratorum maximè filiis, poſt potionem, quæſtio proponebatur, vt plurimum, philoſophiæ. Aderant quidam doctiſſimi atque clariſſimi viri, extendebatur vox ſuauiſſimis atque honeſtiſſimis collocutionibus vſque ad horam ſeptimam. Exinde ſuam quiſq; domum repetebat, lætus & Regis gratia & benignitatis plenus. XVIII. *Studioſè. Benignè.*

18 Legerat illud Alphonſus, vt arbitror, quod non ignotus poëta cecinit:

Dii maiorum vmbris tenuem & ſine pondere terram,
Spirantesq; crocos; & in vrna perpetuum ver,
Qui præceptorem ſancti voluere parentis *eſſe loco.* —

Atque idcirco ſuo magiſtro vel poma vel confectiones zaccareas miniſtrauit.

Cum aliquando Rex interrogaretur, vtrum ne armis an libris maiorem gratiam deberet, reſpondit, *Ex libris ſe arma, & armorum iura didiciſſe.* XIX. *Iuſtè.*

19 Georgius Fiſcellus cum eſſet doctor, à Sigiſmundo Cæſare equeſtris militiæ inſignia ſuſcepit. Exin cum Baſilienſem Synodum adiſſet, conſultante de rebus arduis Sigiſmundo, dubius an doctoribus legum coniunctis in vnum locum, aut ſe equitibus ab illis in alium ſeparatis coniungat. Cumque tandem ad equites inclinaret, *Stulte agis* inquit Sigiſmundus, *qui literis militiam praefers. Nam ego milites mille vna die fecerim. Doctorem mille annis vnum non fecerim.*

Illud quoque (vti ego arbitror) Socratis dictum frequenter vſurpabat: *Tanto priuatis hominibus reges meliores eſſe debere, quanto honoribus & dignitate antecellerent.* XX. *Grauiter.*

20 Vitoldus Lituaniæ dux *plebem legi, legem principi ſubiectam eſſe oportere*, dicebat. Adeoque differentem moribus & habitu à ſuis popularibus ſeſe præbuit, vt

illos tonderi edicto iusserit, sibi tanquam maiestatis insigne barbam intonsam retinens. At cum id non succederet (nam Lituani vitam potius quàm barbam parati erant amittere) caput ipse genasque rasit, capitalem pœnam in eos cōminatus, qui suo exemplo barbam aut comam deponerent.

XXI. *Grauiter.* Improbè agere Principes dicebat, qui aliis honestè decoreque viuendi legem præscriberent, ipsi vero nihilo temperatiores sese probarent.

21 Essent plerumque principes, quàm priuati homines, vti Socrates, meliores, si reges electio, non successio faceret.

XXII. *Grauiter.* Perniciosos eos esse ciues dicebat, qui Regum innocentia, bonitate, lenitate abuterentur. Plerumque etenim accidere, vti peruersis ciuium moribus, reges præter eorum naturam, asperius regnare cogantur. Contrà eos probos spectatosque ciues esse, qui principis benignum & humanum ingenium eorum virtute atque prudentia fouerent simul & augerent.

22 Cum quæreret aliquis ex Thoma Sarzanensi, qui postea maximum pontificatum adeptus, Nicolaus quintus appellatus est, qualis esset Eugenius papa quartus? *At*, inquit, *hoc facile cognitu est. Qualis familia est, talem & principem inuenias.*

XXIII. Cæterum reputanti mihi Alphonsi egregia facta, id supra modum admirabile ac præcipuum videri solet, quum modo Genuenses etsi maritimo prælio eum vicerint, tributum quotannis trullam auream reddant. Enimuero tanta fuit autoritas Alphonsi, vt etiam victus conditiones dixerit, & victores victo metu cesserint, quasi victoriam casu non virtute se consecutos arbitrati.

23 Austriales quoque qui accersitis Bohemis in Noua ciuitate Fridericum Cæsarem ex Italia redeuntem obsederunt, eò demum redacti sunt vt victores ex victo pacem peterent, atque in eam rem auri sex millia nummûm quotannis penderent.

XXIV. *Prudenter.* *Vrbanè.* Alphonsum verò, cum is audisset Senenses, qui à bello Italico medii extitissent, in neutram partium inclinantes, postea sedato bello diuisorum militum prædam esse, dixisse aiunt, Senensibus euenisse, quod his solet, qui mediam domum incolunt, vt ab inferioribus fumo, à supernè habitantibus vrina vexentur.

24 Sub imperio fœminæ cum esset Austria (defecerat enim virilis proles) hinc Hungarus, inde Baioarius prouinciam prædabatur. Fœminæ quæ contemneretur, suadebant amici, alterum ex hostibus virum acciperet, qui alterius contumeliam propulsaret. Quibus illa, minimè inimico nubam. Ottaccarum ex Bohemia potius accersam, qui meo coniugio ditatus, & Baioario & Hungaro vicem reddat. Neque enim natura fert, vt qui nobis nocent, iis benefaciamus.

XXV. *Celeriter.* Cum Genuensium quatuordecim maximarum nauium classem, illico aduenturam nuntiaretur Regi, quo duas eius illas ingentissimas in portu deprehensas, comburerent; continuò exscindi è vicinis mon-

tibus

tibus rupes, & infesto profundoque mari ad occursum venientium obiici procurauit. Portum præterea vastissimis lignis, ferreisque catenis circumcludi, molem ipsam, altissimo muro, propugnaculisq; muniri, littora propè innumerabilibus inauditæ magnitudinis tormentis, omnisque generis telis armisque firmari. Atque hæc tanta quidem celeritate, atque admiratione omnium, vt cum mox Genuensium classis se conferret, conspectis propius huiusmodi nouis inspectatisque munimentis, redeundi consilium probauerit, abieritq;. Porrò classis Genuensium quam demiraram Alphonsi munimenta, abiisse diximus, apud Pontiam insulam se continuit, ibique triremium classem, quibus aucta Neapolim rediret, è Genua expectabat. Cumque & aduenisse iam, & Neapolim maturare Rex accepisset, suas & ipse triremes obuiam misit, reperit, fugauit, cepit, combussit.

25 Sigismundus Imperator cum esset in Italia, audissetque patres Basileæ coactos Eugenium Papam summo pontificatu deponere statuisse, quamuis podagra laboraret, itineri se commisit, tantaque celeritate aduectus est, vt ante in Concilio sit visus, quàm eò venturus audiretur. Neque enim bono principi tolerabile videbatur, Ecclesiam quam se autore ad consensionem & pacem Constantiensis synodus reduxisset, Basiliensis denuo rescinderet.

Cum audisset Ioannem suauissimum fratrem meum, iuuenem excellentis ac eximiæ virtutis, mortem obiisse, non solum sermone, sed consolatoriis ad me literis dolorem animi testatus est grauiter Alphonsus. Cum interrogaretur, *Quæ res reges ac priuatos, diuites ac pauperes, claros & obscuros, denique omnes prorsus exæquaret?* respondit *Cinis.* XXVI. *Humaniter.*

26 Consolatoriæ super morte fratris ad te missæ literæ magnum in te Regis amorem testantur. Sed quem ille amet, si te non amet, qui eum, vel post fata victurum facis. Interrogatus aliquando Fridericus Imperator, Quid homini optimum possit contingere? respondit, *Bonus in hac vita exitus.*

Alphonsus cum esset admodum facetus & vrbanus, mirari tamen magis licuit, quo animo quaque moderatione ipse aliorum sales pertulerit, quam quomodo ipse iocos protulerit. XXVII. *Moderate.*

27 Qui iocos moderatè ferrent, sapientes dicere Sigismundus solitus erat; qui promptissime iocarentur, ingeniosos.

Alphonsus cum audisset Albertum Orlandum apud se diutissimè exploratorem agere, non solum non eiecit è curia, sed salarium annuum illi vltrò constituit. XXVIII. *Fidenter.*

28 Anno superiore Græcus ad Albertum Austriæ ducem venit, qui se Constantini Cæsaris à Turcis occisi germanum diceret. Quem cum exploratorem ille comperisset quæcunque in Germania parantur, ad Turcos perferentem, gladio percuti iussit. Carolus quartus Romanorum Imperator, hominem, qui sibi necem parasset, ad se vocauit, eique aureos mille dono dedit, quibus nubilem filiam nuptui

collocaret. Illius se misereri dicens, cui filia natu grandior domi clausa esset. Homo gratias egit Regi, & ad conspiratores egressus: *Nesciebam*, inquit, *Carolus qualis esset, nunc liberalem & clementem Principem ferire nullo pacto possum.*

XXIX. *Fidenter.* Alphonsus cum aliquando laxare animum à negociis vellet, non se quidem abdidit, neque saltatus, neque conuiuia, neq; ludos aliquos exercuit, sed venatione plurimum vsus est, qua (vt Lycurgus tradidit) non solum adolescentes, sed grandiores etiam natu militiæ labores tolerare pulcherrimè condiscunt. Nec tamen (quod miratu maximè dignum est) aut venationes, aut amores, aut deniq; voluptas aliqua Alphonsum vnquam à negociis remorata est.

29 Venatio, inquit Albertus Imperator Ladislai pater, *exercitatio virilis, saltatio muliebris:* Séque voluptate quauis alia carere posse, venatione non posse.

XXX. *Modeste. Grauiter.* Ab diis olim Ioue, Neptuno, Plutone, omnia tripertita fuisse memorabat, & sua quemque sorte, parteque contentum agere. At hominibus hodie, neque quod satis, neque quod minus esset, satis esse.

30 Siquem sua sorte contentum esse decet, non est cur Alphonsus de fortunæ distributione quæratur, qui trium Deorum imperia obtinet; Plutonis, Hispaniæ regna; Neptuni, Siciliam & alias Insulas; Iouis, Italiam, quamuis sua virtus totius orbis imperium meruit.

XXXI. *Studiosè.* Cum libris sub sponda solitum dormire Regem scimus, experrectum illos cum lumine poscere ac lectitare. Ab his, *qui sibi, quid cuibus conueniret*, edoceri potissimum aiebat.

31 Studiosum esse Alphonsum librisque deditum, nemo dubitat, qui cum eo versetur: neque enim sermo vllus eius est, qui non doctrinam redoleat. Nuper rogabamus eum, ne Tusciam bello perire sineret, qui se Pacis Regem inscriberet. Tum ille; *Cassandram*, inquit, *diuinandi arte & cognitione futuri donauerat Apollo. Id factum, in concilio Deorum damnatum qui futura prouidere mortalibus inhibitum asserent. At cum reuocare diuinum donum nephas ducerent, statutum est Ne quis Cassandræ prophetanti fidem haberet. Eodem modo, quamuis Pacificum me Regem appellem, mihi credit nemo.*

XXXII. *Vrbanè.* Mendacium vero ex iis potissimum emanare dicebat, aut qui multum legissent, aut multum peragrassent, aut vixissent multum.

32 Inter eos qui mendacissimi sunt, adde (si placet) & qui militassent multum. Ioannes Hamelburgensis non incelebratus medicus, iubente aliquando Sigismundo Imperatore secedere paululum omneis, qui Comanum nescirent (nam cum Comanis ciues erat, qui sunt Hungariæ populi) non paruit imperio. Interrogantique Cæsari cur non exiisset? *quia solos*, inquit, *abire iussisti, qui Comanum ignorent, qua iussio haud quaquam me comprehendit. Nam mentiri ac furari, quod est Comanorum proprium, nemo æquè ignorat atque ego calleo.*

XXXIII. *Grauiter.* In terra Hispania, qui vitrea vasa vendere soliti sunt, ea in baculo quodam appensa per vrbem deferunt numero octena, hi cum aliquando, vt Rex aderat, præterirent, ad illorum voces conuersum Regem contemplatumque dixisse aiunt, *Consimilem esse vitam beatam:*

Nam

Nam veluti ſiquis cum hiſce vitrariis ingens pretium paciſcatur, ſi octena illa vaſcula ad certam metam integra & illæſa perducant. Contra ſi vnum aliquod in itinere confringant, & vaſa & pretium omne deperdant: Sic, nobis iniunctum eſſe onus quinque ſenſuum perferendorum ac coërcendorum, nec non trium animæ potentiarum vſque ad vitæ exitum commendatarum, quibus ſi rectè ac ſyncerè ad finem vſque fuerimus vſi, nobis merces ingens repromittatur, beata vita. Sin male ac perperam, pœna perpetua.

33 Denaque diuinæ legis mandata ſub magna nobis mercede commendata ſunt. At ſi vnum fregeris, cuncta fregeris.

Cum aliquando de iactura rerum precioſarum ſermo haberetur, perſanctè aſſirmaſſe Regem audiuimus, malle ſe gemmas, vniones, margaritas ſuas, quæ quidem eſſent in orbem omnem terrarum diffamatiſſimæ, quàm libros qualeſcunque perditum iri. *XXXIV. Religioſè.*

34 Quatorupus qui apud Morauos vltimus regnauit, cum ſe abſente regiam conflagraſſe didiciſſet, interrogauit nuncium, An cella vinaria ſalua eſſet? eoque reſpondente, abſumptis cæteris illam intactam igni ſuperfuiſſe, *& nos,* inquit, *igitur ſalui ac læti ſumus.*

Optimum factum ſibi videri dicebat, ſi voluntas noſtra inter amorem ac metum media incederet, vt quantum amor ad exceſſum impelleret, tantum timor illam è diuerſo retraheret. *XXXV. Grauiter.*

35 *Quemadmodum ſuperi amari & timeri volunt, ita & Reges,* ait Sigiſmundus: neq; enim bene ames, niſi timeas.

Cum vero audiſſet ab agricultoribus, mala Punica quæ natura acria eſſent, arte & diligentia fieri dulcia. *Et nos,* inquit, *ciues ac populares noſtros ingenio malo prauoq; bonos & emendatos induſtria reddemus:* aliis fortaſſe dubium videri poterit, quod nunc hiſce adnotamentis adiecturus ſum, mihi quidem ſatis abundè exploratum & compertum eſt, Alphonſum cum pueris innocentia & puritate, cum adoleſcentibus ſtrenuitate ac viribus, cum viris prudentia & conſilio, cum ſenibus grauitate & autoritate, cum acutis ſubtilitate & argutia, cum ingenuis candore & ſimplicitate, cum omnibus deniq; ingenio, doctrina, virtute, arte & ſapientia contendiſſe. *XXXVI.* *Quomodo omni ætate commodè vſus ſit Alphonſus.*

36 Vellem Alphonſi arte atq; diligentia non ſolum ciues, ſed milites quoque ingenio malo prauoq; bonos & emendatos reddi. Sed militia (vt mihi videtur) ſentina vitiorum eſt, quæ nulla virtutis indicamenta ſuſcipiat. Alphonſum vero cum omnibus ingenio, doctrina, virtute, arte, ſapientia non ſolum contendiſſe, ſed eos etiam viciſſe dixerim, natum (vt mihi videtur) ad omnia quæcunque aggredi ſtatuat.

Maximum vero argumentum immortalitatis ſibi videri dicebat, quòd corpus in hac vita decreſcere videremus, ac per omnia membra ſuos quaſi fines & terminos habere. Animos vero quanto ad annos accederet, tanto magis intelligentia, virtute, & ſapientia creſcere. *XXXVII. Sapienter.*

37 In terra Austria cum obiisset vnus ex primoribus annos natus tres & nonaginta, qui vitam inter voluptates illecebrasque nulla vnquam valetudine offensam duxisset, ignotaque illi omnis calamitas, omnis mœstitia fuisset, idque Friderico Cæsari narraretur. *Et hinc*, inquit ille, *immortales animas censere licet. Namq; si Deus est qui hunc mundum gubernat (vt Philosophi & Theologi docent) eumque iustum esse nemo negat, profecto alia loca sunt ad quæ post mortem animæ migrant, ibique pro factis aut mercedem aut pœnam accipiunt. Nam hic neq; bonis sua præmia, neq; malis sua supplicia reddi videmus.*

XXXVIII. *Iuste.* Cum accepisset Gallum medicum, acutissimi quidem sed auarissimi ingenii sophistam, relicta medicina ad causas agendas sese conuertisse, forumque omne sophismatibus inuoluere; illum foro prohibuit, decreto edicto, *vt omnis lis, quam Gallus patronus susciperet, ipso iure haberetur iniqua & iniusta.*

38 Gallus medicus litem, cui patrocinetur, iniquam facit. Bellum, cui se immiscet Hildebrandus, iniustum; quod Picininus suscipit, iniustum atque impium.

XXXIX. *Modeste.* Alphonsus, si, prout libitum fuerit, sibi vitam agere liceret, *Iuliani eremitæ vitam sese electurum* inquiebat. Fuit etenim is Panormitanus, incolens amœnissima loca prope Martini templum, quas Gallico verbo chambres appellant, irriguo horto tenuique victu lætus ac Deo deditus.

Chambres.

39 Ioannes de monte Damarum * natione Sueuus, *sit mihi*, inquit, *actus aliquis, in quo perpetuo degam: opulentum quempiam mercatorem, vt apud Florentinos esse aliquos aiunt, fugientem, admota tergo lancea quasi iamiam captam, insequi velim.* Sic enim sequitur sua quemque voluptas, vt ait poëtarum Latinorum maximus. At dulce ocium & priuatæ vitæ quies interdicta principibus, neque Diocletiano ad hortos redacto aspirauit fortuna.

* *De Rechberg.*

XL. Alphonsus cum interrogaretur, quos è popularibus suis percharos haberet: *illos*, inquit, *qui non magis eum quàm pro eo metuant.*

40 Interrogatus Fridericus Imperator. Quinam sibi charissimi essent? *Qui me*, inquit, *non magis quam Deum timent.*

XLI. *Modeste.* Ab ore Alphonsi nunquam omnino verbum obscœnum excidisse scimus, nunquam interiora membrorum eius quempiam vidisse, nunquam iurasse, nisi *per ossa patris*, & id quidem rarenter, & ob causam.

41 Iurasse Fridericum nunquam comperi, nisi cum in ciuitate Aquensi apud Belgas, & cum Romæ coronatus esset, idque iuramentum constantissime tenuit. Cum enim iureiurando promisisset, *Quæ bona possideret Imperium, nullatenus alienaturum*, & modo hoc modo illud ex eo peteretur, maluit auarus negando, quàm concedendo periurus videri. Eamque ob causam petenti Borsio Marchioni Estensi ducatum Mutinæ & Regii, tam diu restitit, donec monstratum est, eundem ducatum, qui sub annuo tributo concederetur, lucri magis quàm alienationis speciem habere, præsertim cum Mutina ac Regium in potestate sua non essent, quam rem nos ei potissime suasimus.

XLII. *Liberaliter.* Scimus item Alphonsum regem non modo vectigalium partem

maximam ciuibus suis elargitum, sed vrbes etiam præclarissimas, comitatus ducatusque splendidissimos dono dedisse. Ac interim solitum dicere: *Regum inprimus studium & officium esse, populares suos locupletes efficere, popularibus enim ditioribus factis, nec vtique Reges futuros pauperes.*

42 Auri nummûm centum millia ciuis quidam Pragensis recepto chirographo, Carolo quarto Imperatori mutuo dedit, eumque postridie ad prandium inuitauit, conuocatis aliquot regulis, conuiuium more Bohemiæ splendidissimum apparauit. Cum vero potioni & caseo (vt illi consueuerunt) locus esset, neque enim zaccareis confectionibus vtuntur, Chirographum in catino aureo iussit adferri, admirātibus conuiuis, & quid hoc sibi vellet quærentibus: *Cætera*, inquit, *fercula Cæsar communis tibi cum hisce optimatibus fuere, hoc tui solius erit. Nam aurum quod mutuaui nudiustertius, tibi dono, omneq; debitum remitto.*

Cauernosum vlcus in tibia exortum scatensque, solutus Rex, nec ab aliquo retentus, ignito gladio scindendum medico præbuit, nullo prorsus aut voce, aut gemitu, aut frontis contractu, doloris signo edito. *XLIII. Patienter.*

43 Ignis, quem sacrum vocant, digitum pedis Sigismundi Cæsaris exurebat, & ne altius serperet timebatur. Medici abscindendum digitum suasere, paruit Imperator, & quasi alius inscinderetur, ita immotus chirurgici ferrum inspectauit & pertulit.

Laudare Italicos Rex consueuit, tum ob alias causas, tum quòd in prælio paucis equitibus instruerent aciem. Siquidem in acie, quæ Hispano more pluribus constaret, reliquos omnes, quoniam sese explicare non possent inutiles esse inquiebat. *XLIV. Peritè.*

44 Bohemi apud quos multa plana, raras fossas inuenias, equitatum peditatumque omnem intra currus claudunt, in curribus verò quasi mœnibus armatos collocant, qui missilibus hostem arceant. Cùm prælium committitur, ex curribus quasi duo cornua efficiunt, eaque pro multitudine pugnatorum, & loci necessitate explicant, retroque & à lateribus tecti in fronte pugnant, interea paulatim aurigæ procedunt, hostiumque acies circumuenire atque includere conantur. Quo facto haud dubiè victoriam parant, cùm hostes vndique feriantur. Est quoque plaustrorum compages ea arte composita, vt ad imperatoris iussum, qua velit, & quando velit, aperiatur, siue ad fugam, siue ad insequendos hostes ratio postulauerit.

Philippus ille inclytus Mediolanensium dux, cum fœdera inter se & Regem inita, sese forsitan neglexisse animaduerteret; ac proinde indignatum Regem atque immutatum; Statuit ad eum certos oratores mittere, Guarnerum Castilionem iurisconsultum, Franciscum Laudrianum, & Antonium Pisaurensem, qui videlicet ipsius mentem ac propositum scrutarentur, simul & conditiones inter Regem & Ducem ipsum in Gallia conuentas, à quibus Rex liber & solutus, ducis culpa videretur, denuo confirmare ac renouare summopere anniterentur. Hi vero cum hac de re argutissimam orationem habuissent, *XLV. Gratè.*

Rex Philippi ſuſpicione, timoreque deprehenſo, primum illos bono animo eſſe iuſſit, dein ſe eodem animo atque obſeruantia in Philippum patrem, qua fuerit olim, cum ab illo digrederetur, eſſe reſpondit. Nec poſſe vnquam Philippi errata, ſi modo aliqua ſunt, ſe à propoſito ſemel ſuſcepto deiicere, placere ſibi conditiones & fœdera eadem illa perpetuò fore. Quoniam beneficia eius erga ſe perpetua eſſent, & perire neutiquam poſſent, quippe quæ velut re diuina quotidie ſibi obuerſarentur ante oculos. Suæque met voluntatis, ſe nuntium allaturum fuiſſe Mediolanum, ſi iter bellis vſquequaque infeſtum non eſſet. Bellum præterea Neapolitanum non tanta pertinacia geſſiſſe, quod regna alia ſibi deeſſe viderentur, ſed vt captum pacatumque Philippo benefactori, in aliquam beneficiorum compenſationem traderet; certè vt oſtenderet ſe non minorem voluntatem in tribuendo, quàm Philippo in conferendo habuiſſe. Itaque non ſolum pacta olim conuenta firma, & inuiolata perſtare Philippo referri, ſed regnum Neapolitanum etiam deferri vltrò iuſſiſſe.

45 Quamuis amici culpa ſolutum ſe fœdere Alphonſus dicere poſſet, memor tamen ſuæ conſtantiæ, & accepti beneficii ratas eſſe pactiones voluit, quæ exciderant. Idem & nunc erga ſe facturum Regem Senenſes ſperant. Etſi enim ea non Senenſium eſt, quæ Philippi fuit erga Regem beneficentia, eſt tamen Regis erga Senenſes illa, quæ fuit in Philippum conſtantia. Propterea ſi fœdus quoquo modo à Senenſibus violatum reperiatur (quod minimè credimus) haud quaquam malitia vlla, ſed ignorantia fortaſſis eius cauſa fuerit.

XLVI. *Strenuè.*

Iaciebat interdum Alphonſus manu baliſtæ ſagittas quatuor paſſibus quadraginta, refixas in ſuum quamque foramen iterum iaciens remittebat, eaſdem confixas tertiò iaciens ſigillatim in poſtremam partem feriendo diſtinguebat.

46 Qualis fuerit Alphonſus iuuenis, ipſa nunc ætas maior oſtendit, quem ſæpe veloci inſidentem equo perſequi feras, ac nunc apros nunc ceruos iaculari vidimus, ſuaque manu ſternere. Quæ opera in tanto Rege ſtrenuitatis magis quam prudentiæ cenſemus. Nam vitam, in qua tot populorum vita conſiſtit, ſine magna cauſa periculis obiectari nolim.

ALPHON-

ALPHONSI ORATIO IN EXPEDITIONEM CONTRA TVRCOS.

SCio plerosque vestrum demirari P. C. quod cum totiens de expeditione in Turcos verba fecerimus, eamque miro consensu omnes capessendam censuerimus; cur illa hactenus à me dilata ac penè derelicta videatur. Quod equidem nolim arbitremini aut negligétia mea, aut pusillanimitate accidisse. Nam & bellum hoc nobis miserũ semper visum est, & vtrumq; tãdem omnino suscipiendum. Verum dum alios Europæ principes respicio, ad quos huiuscemodi belli cura, vel autoritate, vel potẽtia, aut rerum peritia magis pertinere videbatur, in hunc vsq; diem rem distulimus; certè ne insolentiæ, aut arrogãtiæ argui possemus. In præsentia verò cum illorum neminem ad hanc rem animum intendere animaduertam, ac propterea hostium animos in dies magis crescere atq; insolescere, statuo, si id quoq; visum fuerit, bellũ, in Christi domini nomine, in Christianorũ hostes vlterius non differre. non quod ad tantam belli molem per me ipse satis omni modo confidam: sed quod in Christo, cuius res maximè agitur, quàm plurimum sperem. Hic enim & vires nobis, & opes, & industriam, & deniq; victoriã suggeret. Nam si nunquam in seipsum sperantes dereliquit; cur nos, qui non in nostra potentia (quæ nulla est) sed in eius brachio & benignitate confidimus, destituet? præsertim eius ipsius vlciscentes bellũ, quod contra eum suscepturi sumus, P. C. qui Christi summi & seruatoris Dei templum fœdauerit, Mariæ matris effigiem sagitta per ludibrium trãsfixerit, Sanctorum martyrum reliquias, partim igni, partim canibus edendas obiecerit. Quo quidem in bello si vicerimus, orbis terrarum præmiũ erit: si victi fuerimus, cœlum: vtcunq; res cedat, magna nobis & immortalis gloria paratur. Verũ ego beneficia omnipotentis Dei mecũ nonnunquã reputans, tria illa vel præcipuè cõmendare ac præferre soleo. Primum quòd me non belluam, sed hominẽ, hoc est, animal ratione præditũ fecerit. Alterum quòd Christianũ. Tertiũ quòd tot & tantorum regnorum regẽ ac dominum. Sileo præter hæc plura. Sed his tribus tamen Deo optimo & benignissimo me obligatũ & obnoxium sentio, vt mihi nisi mortalium ingratissimus esse & haberi velim, non amplius oscitandum aut torpescendum sit, neq; expectandum, an quid alii moliantur, aut parent; sed rumpenda potius mora, classiq; habenæ immittendæ. Nam per immortalem Iesum, quid

eſt quod verear, quo minus bellum hoc honeſtiſſimum, ac piiſſimum amplectar? anne corpuſculum, anne regna & reliqua bona, anne denique animam ipſam amittam? Verum hæc omnia vt à Deo mihi conceſſa, ita ipſi Deo tandem reſtituenda ſunt, vt planè profitear, quicquid huic bello deſtinandum ſit, meum non eſſe, at ei cuius id eſt, iure ac merito reddi debere. Bellum itaque nobis proponitur, in quo nihil quod noſtrum ſit, perdere poſſumus: ſed in quo etiam perdendo vincamus, perpetuamque felicitatem adipiſcamur. Satis mundo inſeruiuimus, ſat voluptatibus conceſſimus: reliquum ætatis Deo dandum & conſeruandum eſt. Victoriam olim de regno ſeculari dimicantes conſecuti ſumus: quid ſperamus fore, ſi de Chriſto, ac pro Chriſto, pugnam omnium pulcherrimam ſubierimus? Perpudeat iam Chriſtianos, & Chriſtianorum principes, tot populorum à Mahumetanis bellatorum, tot regum procerumque interemptorum, tot hominum in ſeruitutem abductorum, aut in Mahumetanam perditiſſimam hęreſim redactorum, virginum ſtupratarum, Dei veri ac ſanctarum imaginum ſubuerſarum, atque huiuſcemodi propè innumerabilium contumeliarum. Et iam cogitemus, capta Conſtantinopoli, hoc eſt, clauſtris Aſiæ deſtructis, niſi hoſtium conatibus ſtatim obſtiterimus, de nobis deque Chriſtiana religione protinus actum eſſe. His atque aliis rationibus adductus P. C. ſi vos item annueritis, bellum pro fide Catholica contra Turcos, quod nobis atque omnium Chriſtianæ reipublicæ fauſtum felix atque fortunatum ſit, confeſtim ſuſpiciam.

ALPHONSI REGIS
TRIVMPHVS.

POSTEA quàm Rex cum principibus regni decreuerunt conuentum celebrare Neapoli, relicto Beneuento, primum Auerſam, deinde templum diui Antonii extra muros Neapolis petiere, ibique tantiſper morati ſunt, dum quæ ad triumphi ſpectaculum pertinerent, pararentur. Conſtituerant enim ciues Neapolitani vno conſenſu omnes regem triumphantem excipere, tum ob mirabilem victoriam, tum ob clementiam regis inauditam. Igitur ſexto & viceſimo Februarii die Rex ſeſe cum principibus oſtendit ad portam Carmelitanam, iuxta quam non modica murorum pars diruta erat à ciuibus, & in honorem victoris introëuntis patefacta, atque ibi triumphalis currus paratus, ſublimis & inauratus. In cuius ſummitate ſolium erat auro pur-

purpuraque adornatum. Currui alligati erant equi albentes quatuor, totidē rotas tracturi, nimis feroces, sericis loris, aureis frenis redimiti. Erat item in curia contra Regis soliū, sedes illa periculosa, visa flammā emittere inter regis insignia, valde & quidem præcipuum. Circumstabant & currum viri patritii viginti, singuli singulas sursum hastas tenentes, quibus desuper alligabatur aureum pallium, nusquam alibi in tali mysterio æquè pretiosum auditum; è cuius fastigii extremis lineis, Regis & regni & ciuitatis signa circumpendentia haud inuenustè ventilabantur. Sub hoc autem pallio, aut magis vmbella, Rex ipse sedens triumphansque deuehendus erat. Sed antequàm currum conscenderet, aliquid se dignum dicere aut facere constituit. Itaque vocato ad se primum Gerardo Caspare de Aquino: *Ego*, inquit, *adolescens ob merita & seruitia patris, te Marchionem Piscariæ constituo creoq́., similiq́, te hortor ad fidem, constantiam, & integritatem eius, in cuius honorem nos hodie te tam sublimi dignitate honestamus, quam patris beneficio partam, posthac tua propria virtute conserues, & amplifices. Te quoque Nicolae Canteline ob fidem & obseruantiam tuam ducem facimus vrbis Forae; & te Alphonse Cardona, ob præclara militiæ facinora singularemq́, virtutem, Rhegii comitem designamus.* His ferè verbis eademque animi gratitudine complures in Comitatus dignitatem sublimauit. Franciscum Pandonum Venafri, Ioannē à Sancto Seuerino Nursii, Franciscum eiusdem cognomenti Maracinæ ac Americum Capacii comites fecit. Mox propè innumerabilibus viris de se bene meritis equestrem contulit dignitatem, quos recensere omittimus: vt ad maiora & simul iucundiora properemus. Post hæc in Christi Dei veri ac sapientissimi nomine, cui omnem victoriæ laudem ac gloriam referri semper ac vehementer voluit, currum ascendit, veste serica coccineaque demissa, longeque protracta pellibus, quas Zobellinas vocant suffulta, capite detecto. Nunquam enim adduci potuit, quanquam sibi à pluribus, & quidem viris magnis suaderetur, vt coronam lauream de consuetudine triumphantium acceptaret. Credo quòd singulari eius modestia ac religione Deo potius coronam deberi diiudicans, quàm cuipiam mortali. Sed vbi eminens in curru visus est, tantus & virorum astantium & mulierum supra tecta domorum spectantium clamor & plausus exortus est, vt nec tubicinū clangor, nec tibicinum cantus, quanquam essent hi propè innumerabiles, præ clamore exultantium quicquam omnino exaudiri possent. Erat interim cernere homines partim præ lætitia illachrymantes, partim præ gaudio ridentes, partim nouitate rei obstupentes. Progressus verò aliquantulum

Ludi Florentinorum. substitit, donec præcedentium agmen expediretur. In quibus Florentini omnium primi varios ludos singulari industria excogitatos, grandi affatim impensa constructos in hunc modum explicauerunt. Præibant statim post tibicines tubicinesque adolescentes decem longo ordine in veste, diploide serica coccineaque argento & margaritis, prout inuentum aut affectus cuiusque dictauerat, exornata, caligis purpureis, seu (cum vulgo dixerim) scarlateis, multo similiter argento gemmisq, distinctis, adequitantes omnes eximiæ pulchritudinis equos, & hos quidem nolis tintinabulisq; vndique resonantibus adornatos, scaffis innixi, vt sellam si quis paululum clune contingeret, veluti probro aliquo erubesceret, dextera leuata medium hastile crispabant, pictum & illud ac variis floribus inspersum, quod modo in caput quisque rotabat, modo in ictum protendebat, modo vt sua cuiusque libido erat, attrectabat: sertum vnicuique capiti erat laminis quibusdam aureis distinctum, quod tamen coram Rege transeuntes missis habenis sinistra proni capite deponebant. Sequebatur hos rerum domina Fortuna, super tabulato pictis tapetibus instrato. & ea quidem veluti curru alto sublata vehebatur, capillis à fronte protensis, occipite autem caluo; sub cuius pedibus erat ingens aurea pila, & hanc infantulus quidam specie Angeli extensis brachiis subleuabat, sed is Angelus sub aquis vestigia firmabat. Fortunam modico interuallo sequebantur virtutes sex, pulcherrimis atq; instratis equis deuinctæ, habitu perhonesto & antiquo. Cæterum vt dignosci possent, suum quælibet præ se ferebat insigne. Prima omnium Spes coronam, proxima Fides calicem, deinde Charitas infantulum nudum ostentabat. Quarto ordine incedebat Fortitudo columnam marmoream manibus sustentans. Quinta erat Temperantia, manibus phialas gerens, aqua vinum commiscebat. Vltima vero Prudentia speculum dextera, læua serpentem populo exhibebat. Iustitia restabat, quæ velut regina cæterarum æquo modo contenta, sub ornatissimo quodam pulpito eminens vectabatur, ornatuque cultuque conspicua, dextera nudum ensem, læua vero trutinam gestans, quæ velut sequentibus ac colentibus se imperium esset præbitura. Post humeros loco eminentiore solium constituerat, & hoc quidé auro purpuraq; decorum, super quod Angeli tres, quasi cœlo visi descendere, coronam quisq; suam sibi polliceri videbantur, qui huiusmodi solium propter iustitiam mereretur: sedé hanc pulcherrimam sequebatur turba equitum maxima in habitu formaq; diuersarum nationum, principum, procerum. Sed vt hi sedem sequebantur, ita & currum personati Cæsaris anteibant. Aduentabat enim

Fortuna.

Spes. *Fides.* *Charitas.* *Fortitudo.* *Temperantia.* *Prudentia.* *Iustitia regina virtutum.*

Angeli tres.

Merces Iusta.

Cæsar

Cæsar eminentissimo atque exornatissimo [illegible] in pulpito deuectus, ad quem gradibus instratis ascendebatur. Stabat enim Cæsar laurea caput deuinctus, armatus, paludamento amictus, dextera sceptrum præferens, læua auream pilam. Sub eius pedibus mundus in formam sphæricam continuè mouebatur. Constitit coram Alphonso, & in hunc ferè sententiam locutus est verbis [illegible]: *Ego te præclarissime regum Alphonse, cohortor, ut [illegible] virtutes quas coram te modo transire vidisti, quas perpetuo coluisti, ad ultimum usque tecum serues. Quod si feceris, ut facturum certe scio, quæ te [illegible] triumphantem populo ostendunt, aliquando dignum efficient, sedes illa imperatoria, quam [illegible] concupisti. Qua cum [illegible] simul educebatur, [illegible] iustitia ne [illegible] veram solidamque gloriam assecuturum. Sed Fortunæ, quæ tibi paulo ante [illegible] porrigere videbatur, nequaquam confidas: fluxa & instabilis est. Ecce & mundus volubilis, & præter virtutem omnia incerta. Hanc igitur, quod facis, religiosissime colas. Ego Deum optimum maximum [illegible] te in prosperitate, sed & Florentiam in libertate conseruet.* Hæc locutus Cæsar, agmini sese immiscuit, & secuti sunt bino ordine Florentini numero circiter LX. tunicis omnes purpureis ac [illegible]. Post hos veniebant Hispani, hi quos Latini Celtiberos, vulgus Cathalanos vocitamus, & hi magna celebritate magnoque [illegible] adduxerunt enim equos quosdam [illegible] veste [illegible] instratos hos iuuenes [illegible] veste ad [illegible] vsque [illegible] pedibus iuuenes mouerentur, equi modo cursum arripere, modo in gyrum flecti, modo insequi, modo fugere videbantur. Erat equitibus scutum sinistra Regis insignibus depictum, dextera nudus ensis. Contra hos pedites aderant ornatu Persico [illegible] tiaris acinacibusque formidabiles. Mouebantur primo viri equites peditesque leniter ad harmoniam, vel ad numeros, [illegible] more, saltabant. Deinde concitato sensim cantu, & ipsi pariter inflammabantur, prœliumque miscebant. Atque ita magno [illegible] clamore magnoque [illegible] digladiabantur, [illegible] [illegible] capiebant, procedebant. Post hos vehebantur [illegible] turris [illegible] ornata, [illegible] collocabatur. Nam super ea vectabantur virtutes quatuor, Magnanimitas, Constantia, Clementia, Liberalitas. Hæ quidem [illegible], insigne illud regium præ se ferebant, cantantes suam quæque compositis versibus cantionem.

Cæsar. Mundus. Fortuna. Virtus. Florentiæ libertas [illegible]. Ludi Hispanorum. Pugna. Turris [illegible].

Omnium primus Angelus ad Regem versus in hunc ferè modum disseruit: *Alphonse rex pacifice, ego tibi castellum hoc, & superastantes quatuor inclytas virtutes offero manuq́, trado, quas quomodo tute semper veneratus & amplexus es, nunc te triumphantem comitari gratanter volunt.* Proxima huic Magnanimitas regem hortabatur ad animi excellentiam. Subinde demonstrans Barbaros illos ab Hispanis victos fugatosq́;, vt intelligeret Rex, si quando bellum suscepturus esset contra infideles & à Christi nomine abhorrentes, Hispanos præstò esse, ac procul dubio victores euasuros. Tertia erat condimentum virtutum omnium Constantia, & ipsa Regem admonebat, vt humanos casus, si quando accidunt, armato constantique animo perferret, ab honesto gloriosoque proposito nullo infortunio abduceretur. Fortunam siquidem omnem ferendo superari. Clementia deinde vultu præ cæteris exhilarata, velut in Rege, quasi in speculo, se ipsa intueretur; *Reliquæ, ô Rex,* inquit, *hæ sorores inter mortales tete sanè præstantissimum reddunt. Ego vero te non hominibus sed Diis immortalibus facio æqualem. Illæ quidem vincere, ego te victis parcere, eosdemq́, tibi conciliari monstraui.* Hæc breuiter effata conticuit. Liberalitas postremò in vulgum pecuniam prodigebat, significans Regem actorum gloria duntaxat contentum, reliqua omnia popularibus elargiturum. His itaque mirum in modum compositis ac præcedentibus currum, quinque aderant viri nobiles coccinea chlamyde induti, ex quolibet theatro vnus. Diuiditur enim ciuitas omnis Neapolitanorum in theatra quinque, quæ illi à consedendo sedilia appellant. Hi quidem præerant currui dirigendo, equisque dextrandis, toti denique præcedentium agmini ordinando, tum scipionibus quos dextra præferebant, tum autoritate maximè ex imeſcendi. Præcedebat iam Alphonsus augusta maiestate venerabilis, ac totius corporis dignitate spectabilis. Et rursum clamor plaudentium ad cælum vsque perlatus est. Currum pedibus omnes sequebantur, ac totius regni reguli ac principes ordine quaterni, omnium primi Ferdinandus Alphonsi triumphatoris filius, preclaræ indolis puer, Ioannes Antonius princeps Tarentinus: atque hi medii: a quorum dextera Raymundus princeps Salernitanus, à sinistra Abranius regis legatus. Deinde vir maximus proque sua fide & constātia sempiterna memoria dignus Ioannes Antonius Suessanorū dux, Honoratus Fundorū comes, Petrus inclyti Mediolanensiū ducis legatus. Tertio ordine Antonius dux sancti Marci, Traianus dux Melphæ, Antonius Xantilla Marchio Catroni, Iacobus comes Nicolai Picinini viri fortissimi filius. Deinde suo ordine quoq́, duces comitesq́, duo de

qua

Magnanimitas.

Clementia.

Liberalitas.

quadraginta, proceres & barones circiter centum, equestris ordinis viri propè innumerabiles, præstantium virorũ, grauissimorum pontificum, literatissimorum hominum infinita etiam multitudo. Diceres post currum frequentiam si cerneres, non alibi in vrbe homines esse posse. Sed ita præterea forum illud amplissimum, ita palatiorum omnium culmina, ita fenestræ, ita ianuæ, ita porticus, ita viæ, ita theatra, ita loca omnia referta erant hominum, tum exterorum omnium vndique ad spectaculum confluentium, tum ciuium ipsorum, vt si post currum nondum videras, nihil hominum superesse contenderes. Iam Alphonsus per media sui triumphalis arcus fundamenta cepta, iter faciebat, monumentaque rerum suarum paululum conspicatus, numulariorum versus regionem ire perrexit, vbi viarum pauimenta floribus ac frondibus sparsa erant. Sed quod nuspiam visum, nuspiam lectum est, fenestræ ipsæ impositarum domorum coccineis, multoque auro contextis pannis iungebantur. Subter hoc aureo quasi celo Alphonsus magno argentariorum mercatorumque omnium plausu, nouoque etiam ludorum apparatu, ac festiuitate incredibili prætervectus, ad portæ nouæ theatrum protinus peruenit, vbi virorum puellarumque sanè pulcherrimarum infinita propè multitudo choreisantium & concinentium Regem ipsum incredibili desiderio, infinita lætitia operiebantur. Erant in hoc, sicut in cæteris theatris, parietes ipsi peregrinis aulæis, [illegible] vestiti, mulieres præsertim purpura, auro, mundo, gemmis sumptuosissimè cultæ, in luxu laus erat; ipsi quidem Regi domino, patri, benefactori, cultus, ornatus omnis referebatur, exolebatur. Igitur præsentem ipsum, saltatione cantuque dimissis, aut rectius intermissis, puellæ omnes genu flexæ manibus iunctis, quasi Deum aliquem ipsarum pudicitiæ custodem adorauerunt. Iidem viri facere, bonis vitaque seruati. Indeque profectus theatrum, qui Portus dicitur, offendit pari saltatu, pari exultatione desudans, nec minore exornatu puellarum numero, venustate, item cultu, munditiaque perpolitum, eadem gratitudine ac reuerentia Regem conseruatorem exceperunt. Inde in tertium deductus theatrum nobile & antiquum nulli suprà commem[or]atorum inferius, siue parietum ornamentis, variisque picturæ, siue puellarum multitudine obstupescas, siue fœminarũ pulchritudine capiaris, siue cantu demulcearis, siue saltatu [illegible] oblecteris. Et hic quidem omnes piissimo ac clementissimo regi immortales gratias egerunt: & Montaneam vetustissimum theatrum se contulit, simili cultu, simili gratulatione, simili omni affectione, à viris puellisque

ſuſceptus. Inde digreſſus ad marmoreos matris Eccleſiæ gradus curru deſcendit, ac cum principum procerumque ſubſequentium pompa templum ingreſſus, Chriſti Ieſu veriſſimum numen humillimè comprecatus eſt, illi victoriæ laudem, illi triumphi gloriam, illi virtutum omnium honores, ac gratias tribuens. Exinde Iannotum Ritium, de ſe bene meritum virum, equeſtri dignitate exornauit, currumque conſcendit, cum magna ac propè incredibili puellarum, quæ in Theatro Capuano Regem opperiebatur, lætitia ac plauſu. Nuſquam alibi aut rerum magnificentia, aut nympharum formoſitate, aut virorum generoſitate, aut animorum gratulatione, aut denique perſonarum rerumque omnium maior apparatus habebatur. Hac itaque Rex prætervectus in arcem tandem Capuanam ſplendidiſſimo huic theatro vicinam, & iam aduesperaſcente die perductus eſt.

IN ORATIONEM PRO SVSCIPIENDO IN TVRCAS BELLO.

ORatio magnanimo rege atque ipſo Alphonſo digna, digitus Dei hic eſt. Neque enim hæc verba, hos ſenſus, hanc denique mentem, niſi ſanctus Spiritus miniſtrauit. Exiit hæc oratio, exiit & ad nos, vſque in Germaniam delata eſt. Non poteſt dictum indictum eſſe. Belli rex tria in ſe magni beneficia Dei commemorat, qui non belua, ſed homo rationis capax ab eo ſit creatus. Nec qualiſcunque homo, ſed Chriſtianus homo. Nec qualiſcunque Chriſtianus, ſed Chriſtianus Rex. Reddere illud modeſtia vetuit, quod non qualiſcunque Rex à Deo creatus eſt, ſed Regum quos habet Europa eſt potentiſſimus & ſapientiſſimus, quod noſtro ſeculo inauditum eſt, Rex atque philoſophus. Verum quoniam honeſtum & laudabile eſt hoc promiſiſſe ſi perficiatur: ita & turpe & vituperabile fuerit, ſi negligatur. Ad tantam verò rem exequendam neceſſaria eſt Hetruriæ pax, quæ cum perturbata ſit, totam Italiam ſuſpenſam tenet. Huius pacandæ poteſtas atque arbitrium penes Alphonſum eſſe nemo dubitat. Suade igitur Antoni, ſuadete omnes, quibus apertæ ſunt Regis aures, vt relicto Picinino pacem Tuſciæ reſtituat. Sic enim aſſumptis in Turcos armis Chriſtianum nomen, vt eſt ab eo vulgatum, & tueri & amplificare poterit.

IN TRIVMPHVM AL-
[illegible]

CVm redierit Alphonsus [illegible] & spo-
lia illa [illegible] Mahumeti caput [illegible] qua-
lem ei currum [illegible] Italia, quales gratias ager [illegible]
omnis Christiana [illegible] Romam [illegible]-
nis & Occidentis reges, [illegible] magnum imperatorem Chri-
stianæ Reipublicæ [illegible]. Cardinales cunctique præsules eccle-
siarum [illegible] longe extra mœnia [illegible] fe-
rentes [illegible] ad [illegible] Quirites, [illegible] pur-
pura [illegible] calcanda fuerit. Matronæ nobi-
les, virginesq; rosas & alia [illegible] conspergent, & [illegible]
[illegible] Ipse curru [illegible]
[illegible] in curru [illegible],
[illegible] omnis populus. Vi-
ctori vitam & gloriam. Atque ita triumphans non in Capitolium fal-
sique Iouis ædem, [illegible] Apostolorum principis beati Petri Basilicam
deducetur. Ibique maximum sacerdotem Calistum tertium, verum
[illegible] claues tenentem inueniens, largam
[illegible] amplexus atque deosculatus grande-
[illegible] partem secedet, vbi & di-
[illegible] sese sermone ha-
[illegible] quidem
[illegible]
que regem [illegible]
[illegible], aliquid [illegible]
[illegible] Hæc habuimus Antoni [illegible]
[illegible] Tu vale & boni consule.

[illegible] Neapoli X. Calend. [illegible] Anno ab incarnatione salutis [illegible]
[illegible] M. CCCC. LVI.

A[illegible] ARAGONIÆ RE-
[illegible]

MVlti [illegible] pussime, audito Ioanne
[illegible] optimo & doctissimo, diuina te
[illegible] quàm loqui. Sed cogi-
[illegible] accepti beneficii magnitudine, ne omnino silentes huius diei

solennitatem prætereamus. In qua pacem sapienti ac diuino consilio tuo perfectam vulgari iussisti. Quare non vrbi nostræ solum, verum Hetruriæ ac toti Italiæ, imò vero vniuersæ reipublicæ Christianæ salutem hodie partam videmus. Etenim quamuis hoc bello, quod modo extinctum est, solus ager Senensis vastari videretur, eius tamen veneni labes longè lateque totam Italiam inficiebat. Neque Laudensi pace, neque altera coram te habita in hac vrbe, Christiano populo satis consultum erat. Cum sedato vno tumultu mox alter oriretur, atque in morem serpentis Hydræ noua indies belli capita succrescerent. At concordia quæ nunc dictante te composita est, omnem contentionis nostræ radicem prorsus extirpat. Nullam Italiæ prouinciolam aut inquietam aut insecuram relinquit. Nullius ius suum aufert, nullum lædit, nullum excludit. Hæc igitur vera pax est, & quæ prioribus illis de pace tractatibus solidũ signum, siue (vt aiunt) sigillum apponit. Hæc cõcordia Christianis quidẽ vera quies, Turcis autẽ, vt mihi persuadeo, extremum exitiũ erit. Nam quantũ discordia nostra extulit illos, tantũ consensus noster deprimet atq; deiiciet. Quippe, vt audient Hungari, Rasciani, Valachi, Albani, Græciq; omnes pacatam atq; concordem Italiam esse, inuictis animis Turcorum arma sustinebunt. exin Fridericus Imperator Augustus inuictissimus, qui etiam te ad hanc concordiam adhortatus est, cum suis Teutonibus Martialique gente, Galli quoque feroces, & alii trans Alpes fideles populi, iamiam tempus adesse fatebuntur, quo se bello contra Turcos accingant. Nam quamuis anno superiore sancta sedes Apostolica legatos mitteret, decimas exigeret, indulgentias elargiretur, naues construeret, Tua quoque Maiestas cruce signata multa & magna in hostes fidei minaretur: nemo tamen credidit expeditioni locum fore, cum vicina Romanæ curiæ atque in ipsis penè vrbis foribus belli tempestas grassaretur. At nunc extirpatis funditus dissensionibus Italiæ e radicibus, quid aliud expectemus, quàm te classe maxima ac potentissima, vt dicere soles, quingentis velis instructa, Orientem petere, ignominiam Deo & saluatori nostro illatam vindicare. Rem videor fortasse difficili atque impossibili similem polliceri. Verum qui te hisce comparant, quique tuas vires, & quæ tibi duo magnanimi Reges, alter Castellæ, alter Portugalliæ ministrare promittunt auxilia, metiuntur, nihil me supra modum sperare fatentur. Age igitur Rex inclyte, tibi, Calistoque summo pontifici hæc laus seruata est, qua religionem Christianam vndique conculcatam, ac fermè deletam in pristinam gloriam restituatis. Nã vetus ille Oriens, qui nobis olim veræ fidei lumẽ infudit, nunc ab Occidente lucem ac salutem expectat.

Legi-



Legimus Christianos Imperatores & Pontifices maximos, ab Hispania missos sæpe Catholicæ fidei magnificè ac salubriter consuluisse, Theodosios, Damasos, atque alios. Ætas nostra sub Calisto tertio diuinitus dato pontifice, ac sub Alphonso rege sapientissimo atque incomparabili, vtroq; Hispano, Orientalia regna rursus ad Christum verum, & singularem Deum reditura esse confidit. Cui rei pulcherrimum hodie tua sublimitas initium dedit, quæ cunctas Italiæ lites vnico pacis arbitramento sedauit. Cuius facti gratia non est oratio nostra, quæ beatissimi patris tui Calisti susceptam consolationem ac lætitiam explicare possit, aut in medium proferre, quibus te honoribus sua pietas, & omnis Ecclesia cumulare decreuit. Senenses verò à te saluberrima pace donati, ac magnificè conseruati, nullo vnquam tempore huius diei memoriam obliterabunt. Gratissima est enim nostra Respublica, quæ quamuis aliquando pro sua tenuitate, iis qui sibi benefaciunt vicem reddere nequit, animum tamen semper obnoxium ac retribuendi cupidum retinet. Videntur adhuc in templo nostro maiori equestres eorum statuæ, qui ante aliquot secula ciuitati nostræ bene consuluerunt. Manfredi qui ex hoc regno laboranti populo nostro opem tulit æterna memoria apud nos est. Bonifacius nonus huius vrbis alumnus, qui vrbi nostræ non defuit magna in necessitate, quasi numen aliquod apud nos habetur. Galeatii ac Philippi Mariarum Langobardorum ducum, qui maiores nostros in maximis sæpe discriminibus adiuuerunt, nomina in ciuitate nostra immortalia perseuerant. Ob memoriam sanctissimi Calisti nostri, qui vt nobis periculum demeret, periculum ipse subire, non recusauit, ædem construere magistratus nostri decreuerunt, in qua sibi quotannis sacrificetur. Et tibi ergo Alphonse, æui nostri gloria, & nato tuo inclyto, Calabriæ duci Ferdinando, & liberis eius, & omni tuæ posteritati Senenses vniuersi, dum stabunt vrbis mœnia, hanc hodiernam pacem, id est salutem & libertatem suam gratissimis animis imputabunt, tuumque erit apud eos indelebile nomen. Mercedem verò tam pii, tam necessarii, tam fructuosi operis, reddat tibi diuina miseratio.

BARTHOLOMÆI FACCII DE HVMANÆ VITÆ *Felicitate ad Alphonſum Aragonum ac Siciliæ &c. Regem inclytum Liber incipit.*



HVMANÆ vitæ conditionem ſæpius reputanti mihi, Rex ſapientiſſime, illud maximè mirandum videri ſolet, quod, cum Deus ipſe princeps & conditor rerum omnium nihil in terris præſtantius homine creauerit, hominem ipſum tot laboribus & calamitatibus obnoxium fecerit, vt nemo adhuc ex tot ſeculis repertus ſit, cui res in omni vita adeò ſecundæ ceſſerint, vt is ſe beatum perpetuo exiſtimârit. Id autem diuinâ ſapientiâ prouiſum eſſe ſatis crediderim, quo mortales, perſpectis tot præſentis vitæ miſeriis, nullam in terris veram ſolidamq; felicitatem conſtare ſciant, ac proinde cœlum illis ſuſpiciendũ eſſe, vbi vera & ſemper manens beatitudo ſit: quod, quantum in me fuerit, exquirendum putaui.

Itaque cum ſuperioribus menſibus otioſus eſſem, & aliquid ſcribere decreuiſſem, quod excellentiæ tuæ placere poſſet, multaq; ab antiquis & contemporaneis noſtris grauiter & ornate ſcripta occurrerent, quibus nihil omnino addi poſſe videbatur, de vitæ Felicitate ſcribere inſtitui, quoniam ea res mihi digna viſa eſt Maieſtate tua, vt nihil de illa adhuc ſcriptum vidi, quod quidem mihi vſque adeo ſatisfaciat, vt aliud non deſiderem.

Nec vero me ab hoc propoſito, vt arbitror, honeſtiſſimo, abſterruit materiæ difficultas, licet illam ſcirem Theologiæ magis eſſe, quam eorum ſtudiorum quibus ab adoleſcentia mea incubui. Nec certe tãtum operis aggreſſus ſum, quod ſim fretus ingenio vel doctrina, quæ ſentio in me quam ſit exigua, ſed potius diuina ope confiſus, vnde omnia mortalium ingenia lumen accipere & ſapientiam liquet. Nam quis eſt, quãuis ſummo & acutiſſimo ingenio, qui iſta percipere & tradere abſque diuino auxilio ſe poſſe confidat? An poteſt eſſe quicquam occultius in tota Theologia, quam ſummi Boni & beatæ vitæ quæſtio,

quæstio, cuius est inter philosophos tanta dissensio? Ego tamen totam opinionem meam ex hominum sapientissimorum sententiis & diuinitus inspiratorum traditione confirmaui, quod legens ipse cognosces.

Hoc autem opusculum, quamuis, quod ad laborem meum attinet, haud satis dignum videatur, quod in tam magni & excellentissimi Regis manus perueniat, Maiestati tuæ dicare statui: quod quidē merito tuo videor mihi facere debere. Nam, vt omittam, tuam in me beneficentiam singularem, in quem Regem de beata vita libellus conuenire magis potest quam in te, qui communi opinione Regum omnium ætatis nostræ beatissimus habeare? Nec ab re quidem. Habes enim Rex sapientissime, quod de Cyro minore Persarum Rege, & à Lysandro Lacedæmonio dictum ferunt. Fortunam scilicet cum virtute coniunctam. Quis enim te vel prudentia, vel magnanimitate, vel æquitate, vel moderatione, vel facilitate, vel liberalitate præstantior? quis factis illustrior? quis præterea in gerendis rebus felicior?

Cum enim cogito, quantopere tibi fortuna fauerit in amplificando paterno regno, tu profecto vnus mihi videris, non solum cui faueat, sed etiam obtemperet ipsa fortuna. Sed de laudibus tuis plura posthac, si mihi vita contigerit. Ego enim pro meo in te amore & obseruantia singulari, quam malo rebus, quam verbis præstare, tuis virtutibus & rebus gestis celebrandis magnificandisq;, nunquam profecto satiari possem, vt omnibus posteris notus & clarus etiam per me fias.

Vt autem scias libelli ordinem, Antonium Panormitam, Poëtam atque equitem præclarum Guarinum Veronensem, Oratorem præstantissimum, ac Ioannem Lamolam disertissimum virum colloquentes facio, vt coram quasi præsentes inuicem loqui putes. Habet enim nescio quo modo plus suauitatis & gratiæ, dicam etiam dignitatis, oratio per Dialogum descripta: quod pro tua sapientia non ignoras. Quod reliquum est, Rex Magnanime, te oro, vt hunc libellum, quicquid est, tuo nomini destinatum, ea fronte atque his oculis, quibus soles, quæ tibi grata sunt, suscipias, & per otium legas. Quem, si Maiestatis tuæ grauissimo iudicio probari sensero, gaudebo: meque amplissimum laboris mei fructum, maximumq; à te munus consecutum existimabo.

Cum Antonius Panormita clarus & singularis Poeta, Iureq; cōsultus, Ferrariā sese aliquādo cōtulisset, & forte apud Guarinū Veronēsē eloquentissimū virū essemus ambo, cuius hominis visendi gratia, in eā vrbē profectus erā, interuenissetq; Lamola, post mutuos cōplexus, &

multa verba, de mutua valetudine, vltro citroq; ab illis habita, in varios ſermones incidimus. Cumque de humanæ vitæ conditione ſermo inter nos ortus foret, quod mirum videretur nobis, cur, cum omnes in id potiſſimum ingenium ſtudiumque intendant, vt felicitatem conſequantur, nemo adhuc illam adeptus fuerit: tum ANTONIVS, visne inquit GVARINE, quando ocioſi ſumus & res digna eſt diſputatione, vt à profeſſione noſtra parumper recedentes, & quaſi ludentes, philoſophorum campum ingrediamur, atque vt hac de re aliquid diſſeramus? Neque enim verendum eſt, ne, ſi philoſophorum arma induamus, aut Ariſtoteles, aut Plato, illa nobis, tanquam ſua, è manibus auferant, etiamſi illis non omnino aptiſſime vti ſciremus: tuque Rhetorum, & ego poëtarum armis magis vti conſueuerimus. GVARINVS: Volo equidem, inquit, & id vehementer cupio, nec res prope vlla eſt, de qua ego diſputare vel audire malim.

Eſt enim vt dixti res diſputatione digna, ac prope quotidiana hominum quæſtione partita, mihiq; erit gratum & item Lamolæ noſtro, vt arbitror, ſi, quid de hac re ſentias, nobis explicaueris.

Tum arridens, ANTONIVS, haud æquum, inquit, poſtulas, Guarine, qui, cum ætate & rerum vſu me ſuperes, velis à me de hac materia, quæ magis tua quam mea eſt, priores partes in diſputatione ſuſcipi. Quamobrem tuum officium feceris, ſi, vt ætate prior es, ita prior ſententiam dixeris. Tum GVARINVS, non diffitebor, inquit, Antoni, id, quod ſi velim, inficiari non poſſum, me quidem ætate præcedere, ſed quod in cæteris partibus te antecedam, in eo tibi planè non aſſentior, præſertim cum tu Iuris conſultus & Eques ſis: cumque plures Rhetores his temporibus inueniantur ſatis clari, poeta autem illuſtris præter te nullus, qui quidem Sigiſmundo Imperatore propter optimum de te iudicium, conſenſu omnium excitatum, laurea corona more maiorum donatus ſis, quæ res vſq; adhuc noſtrum contigit nemini. ANTONIVS, facis, inquit, Guarine, vt ſoles: quos enim valde diligis, eos ſupra modum laudas & extollis. Itaque minus miror, ſi tantum mihi modo tribuiſti, quantum vtinam mihi merito tribui poſſe cognoſcerem. Sed gratum feceris, ſi laudibus meis parcens de re ipſa diſputare cœperis.

GVARINVS, faciam, quod iubes, quoniam ita me cogis, ne me inexorabilem aut difficilem dicas, aut hoc diſputationis genus defugere me velle ſuſpiceris. Atque illud breui dicam, quod ſentio: Neminem in hac vita beatum eſſe poſſe, ſiue is actiuam, ſiue contemplatiuam vitam ſequatur.

Eſt

Est enim insitus naturâ mortalibus [illegible] plebibus quidam appetitus, vt quo maiora quis adeptus sit, eo plura desideret pluribusque carere se sentiat. Idque hoc vno argui & probari potest, quod neminem videmus quodcunque genus vitæ sit ingressus, quem non paulo post delectæ vitę pœniteat, quique in eo genere vitæ deligendo felicem esse non existimet, vt alienum institutum non magis probet quam suum.

Ego enim hanc esse vitæ beatitudinem duco habere eatem rerum omnium copiam & elegantiam, quæ ad victum cultumque corporis necessariæ atque honestæ sint: præsentique rerum statu contentum esse, nec sentire se vlla re indigere, nihil amplius requirere, nihil expetere, nulli quæstui seruire, omni denique animi anxietate, omni corporis carere molestia. Cui autem hæc non sint, hunc beatum esse nullo modo posse. Et quoniam nemo in hac hominum communitate degens ista assequi possit, propterea neminem beatum esse existimandum esse. Qui vero distracti humanarum rerum curis totos sese in cognitionis & scientię studiis collocarunt, hi ne beati quidem. Quoniam dum hoc corporis munere, & graui necessitate fungimur, tranquillitatem mentis, vnde felicitas petitur, consequi non possunt. Est enim innumerabilibus laboribus & periculis referta hæc vita: quibus etsi non omnino frangi, tamen non commoueri sapientis animus non potest, nisi penitus sensus [illegible]. Habetis hic paucis quid de vitæ felicitate [illegible] alia dici posse non negauerim. ANTONIVS, Actiuæ [illegible] partes non ausim defendere. Scio enim id esse difficile. Sed hæc [illegible] Lamolæ nostri prouincia, quem intellexi, te dicente non annuere sententiæ tuæ, & meditari secum, quæ tibi respondeat. Cum verò ad contemplatiuam vitam ventum est, eius defensionem subire non recuso, quoniam me tueri posse non diffido. LAMOLA, Haud æquum facis, Antoni, qui tantum oneris mihi imponis, etsi non omnino præceptoris mei sententiæ acquiesco. Sed tamen, vt morem geram voluntati tuæ, hunc laborem suscipiam non inuitus, idque aliquanto libentius, vt te postea contemplatiuam defendentem audiamus.

ANTONIVS: Bene facis Lamola, qui tam facilem te nobis præbes: sed [illegible] post agam, quod voles. LAMOLA: Rectè [illegible] quidem & sapienter, Guarine, vt soles, omnia quæ ex te quæruntur. Sed tamen difficile est assentiri tibi, nullam viuendi rationem esse, quæ vitam beatam possit efficere. Multos enim quotidie videmus, quibus nihil deesse ad beate viuendum existimatur. Esse præterea multa, quæ hominem beatum præstare possint, reor. Tu vero nullum

penitus excepisti, sed de omnibus vnum atque idem, tanquam de parricidis ac sacrilegis, iudicium tulisti. GVARINVS, Quænam ea sunt, Lamola, quibus hanc felicitatem comparari putes posse? Nam libet ex te audire, cuiusmodi sint. LAMOLA: Ego inquam primum crediderim diuitias præstare hoc posse, quæ vel ob eam rem maxime optantur ac quæruntur, vt earum rerum nob. sit copia quæ, vel necessitati, vel ornamento sint. Hinc enim magnificas ædes, amplissimas villas, cultissima rura, vberes agros, preciosam supellectilem, vestes egregias, vasa argentea, aureaque cælata, margaritas, gemmas, infiniti sumtus. Hinc equos insignes, seruos, ministros: Hinc denique omnia ad splendorem vitæ pertinentia comparamus. Hinc amicos adiuuare, propinquis benefacere, liberos locupletare possumus. Quæ qui habet, hunc non beatum putare, iniurium puto. GVARINVS: Longe in hoc, Lamola, à te dissentio. Diuitiæ enim non satietatem hominibus afferunt, sed maiorem potius auiditatem & sitim. Quotus enim quisque reperietur, qui etiam si abundet omnibus bonis, non alia atque alia maiora & meliora expectet? Eius rei nobis grauissimus testis est Iuuenalis noster elegantissimus, ita inquiens:

Interea pleno, cum turget sacculus ore
Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.
Et minus hanc optat, qui non habet.

Nec vero solum appetitu augendæ rei familiaris angitur diues, sed etiam, quæ adeptus est, amittendi metu. Atque ita, vnde vitæ tranquillitatem ac iucunditatem expetebat, inde anxietates & solicitudo exoritur. Quid quod his probi homines sæpe carent, & improbi exuberant. Sed illud diuitiarum malum est maximum, quod sæpe tyrannos & facinorosos homines ad bonorum cædem incitauit. Legimus enim apud Suetonium & alios historiographos, innumerabiles prope clarissimos & innocentissimos viros, à Caligula & Nerone, vt reliquos taceam, diuitiarum magnitudine interfectos fuisse, quibus non essent illata, nisi pauperes extitissent. Hinc idem Satyrus

Temporibus igitur diris iussuque Neronis
Longinum & magnos Senecæ prædiuitis hortos
Clausit, & egregias Lateranorum obsidet ædes
Tota cohors: Rarus venit in cœnacula miles.

Nec vero tyranni solum, sed etiam inuidi metuuntur. Nec inuidi modo & alieni, sed etiam domestici. Veretur enim locuples, ne aut à seruis, aut à ministris expiletur, neu tanto sudore partas diuitias vno momento omittat, aut amittat: & quod grauius est, ne sibi afferantur manus:

nus: si quo præterea peregrinandum est, quantillum argenti secum ferat, semper timoris sollicitudo est comes. Timet enim, ne in latronem incidat, à quo non dum re, sed etiam vita spolietur: cum quidem tenuis ille paruo quo contentus, nec latrones, nec insidias perhorrescat, & vel per medios intrepidus eat. Sic Satyrus

Pauca licet portes argenti vascula puri
Nocte iter ingressus gladium contumque timebis,
Et motæ ad Lunam trepidabis arundinis umbras,
Cantabit vacuus coram latrone viator.

Nec vero hunc diuitem appellabo, qui quæstui, qui mercaturæ det operam, etiamsi Cosmi fortunas possideat. Quoad enim quis alia atque alia quæret, diuitem non putabo: qui si diues non erit, certe pauper & ob id communi hominum sententia non beatus. Præterea apud amicum vel apud tyrannum cœnans locuples, illorum epulas nonnunquam suspectas habet, &, quod miserius est, porrecta ab vxore & propinquis pocula interdum horret. Hinc ille ipse Satyrus

Sed nulla aconita bibuntur
fictilibus. Tunc illa time, cum pocula sumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.

Atque ita quem in diuitiis vitæ portum sperabant, non modo non inuenerunt, sed [illegible] procellam & turbulentissimam tempestatem. Quæ cum ita sint, dices in diuitiis beatam vitam consistere? LAMOLA. Depulisti me de sententia mea Guarine. Tot enim rationes attulisti mihi, vt non solum non putem diuitias felicitatem continere, sed magis mirer, esse aliquem, qui pro illis congerendis sese laboribus & capitis periculis exponat. Sed quamuis tibi concesserim, diuitias non posse vitam beatam reddere, non tamen tibi concedo, principes & reges non beatos esse. Quid enim illis deficit, quod non beati putandi sint? Inprimis enim quæ vel ad victum, vel ad ornamenta vitæ attinent, illis adsunt, nec ad satietatem modo, verum etiam ad delicias affatim. Nihil audiunt à suis, quod illorum aures offendat, omnes ad eorum voluntatem loquuntur, omnes ad eorum voluntatem [illegible]. Somnum ac requiem pro eorum voluntate ac arbitrio capiunt omnes, [illegible] illis assurgunt, [illegible], parent, prosperis illorum rebus collætantur, aduersis vero [illegible] & condolent, [illegible] consilio ac re sublevare nituntur. Si quid est [illegible] in toto regno, illis defertur: munera amplissima quotidie accipiunt, non a subditis modo, verum etiam ab extraneis, quibus

eorum gratia atque familiaritas cara est. Habent aulicos magnos & præstantes viros, qui frequentes apud illos sunt, qui illis ministrant, qui illorum exequuntur imperia. Voluptates verò omnis generis illis percipere facile est, quibus nemo est qui non toto studio gratificari conetur. Habent præterea, quod ego maximi omnium facio, prope parem cum Deo in homines potestatem. In illos enim ius necis atque vitæ, vt & nocentes seruare,& innocentes occidere,si velint,possint. Nam, vt ait sapientissimus Cicero noster, nulla siquidem re ad Deos immortales propius accedimus,quam salutem hominibus dando, quod præter reges ac dominos nemo dare potest: siquidem magistratus legibus obstrictus est, quas ei præterire non licet. Voluntas autem principum pro lege habetur. GVARINVS, Credo te, Lamola, non tam ista dicere, quod ita sentias, quam vt videas,quibus rationibus illa confutem. Dicam tamen quod sentio. Mihi quidem omnia quæ dixisti modo, videntur ad refellendum facilia: imprimisq;, quod dicis,nihil regibus deficere, quod ad necessitatem dignitatemque vitæ pertineat. Hoc certe haud magnum est, & in principe nequaquam admirandum. Multi etenim priuati ciues istud assecuti sunt, quibus non modo necessaria, sed etiam deliciosa & voluptuaria abunde sunt. Namque ad explendam huiuscemodi rerum concupiscentiam etiam priuatæ opes sufficiunt. Hoc assequi poterat, si voluisset, M. Crassus, hoc Lucullus, hoc multi alii Romani locupletissimi viri. Potest hoc, vt etiam de præsentibus loquar, is quem paulò ante nominaui, Cosmus Medicus, potest Vitalianus Borromeus,possunt & alii multi diuitiis celebres viri. Itaque, quod ad hanc partem attinet, nihil mihi videris dixisse, quod à priuatis seiunctum sit. Quod dicis, nihil audiri ab illis, quod eis molestum sit, omnes ad eorum voluntatem loqui ac tacere, vide, quantum ego ab opinione tua discrepem. Id enim, quod tu illis commode esse ducis, ego incommodo esse arbitror. Adulatorum enim blanditiis inducti sæpe in maxima mala prolabuntur, quibus affecti cognoscunt, non felicitatem, sed calamitatem in assentatione esse repositam. Delectarent veræ etiam laudes, si illas à sincero hominum de se iudicio manare intelligerent. Sed cum ob vitæ turpitudinem, ob ignauiam, ob crudelitatem eiusmodi laudibus sese indignos sciant, nulla est delectatio,quæ illorum animos capere possit. Iuuarent etiam sermones & silentia subditorum, si illa à quadam libera voluntate proficisci crederent: Sed,cum ea,à quodam de se metu,procedere non ignorent,propterea hæc nullam voluptatem afferre possunt; & idcirco vitam beatam præstare nequeunt.

Quod

Quod illos requiescere, otiari, ac somnos ducere pro eorum arbitrio asseris, & hoc quoque breuibus verbis falsum esse conuincam. Ego quidem Lamola, non solum puto hæc eis æqualia cum priuatis non esse, sed potius à priuatis eos longius superari. Quo enim grauioribus negotiis curisque homines intenti sunt, eo difficilius hæc corporis commoda consequuntur. Sed cum regibus grauiores curæ quā priuatis incumbant, propterea illos hisce rebus magis carere, quam priuatos, verisimile est. Hinc de Ænea Virgilius:

curisque ingentibus æger
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem. & alibi:
Ipse vno graditur comitatus Achate.

Achates enim in eo loco cura est, quæ nunquam secedit à Regibus. Sæpius euenit enim, vt, ministris quiescentibus, ipsi quiescere non possint: quod ex eo ostenditur: At pius Æneas per noctem plurima voluens.

Aliis enim somno & quieti indulgentibus, solus Æneas pro comitum salute vigilabat. Si bellum domi habent, soliciti sunt de regno & statu suo, ne eo orbati in miserias incidant. Si pacem, timent & ciues suos, ne quid aduersus se moliantur, noui, -- ne veneno vel ferro petiti opprimantur. Timent etiam domesticos, quod est grauius. Quo enim angore quo metu existimas Dionysium priorem affici solitum, qui cum tonsori non crederet, ignito carbone, vt Cicero meminit, vrebat capillum? Qua solicitudine Alexandrum Phereum, quo timore vitam egisse arbitraris, qui vxoris thalamum, nisi præmissis inquisitoribus, ingredi non audebat. Dices fortasse, his merito timendum fuisse, cum improbi fuerint, bonis vero & iustis regibus, nihil tale metuendum esse. Cum igitur Tarquinius Priscus, Seruius Tullius, Reges plane boni atque æqui interfecti sint. Non igitur immerito à Iuuenal. dictum est:

Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci
Descendunt reges & sicca morte tyranni.

Quid illa perpetua anxietas augendi imperii, quam grauis est comes? putasne illum animo posse consistere, qui semper secum cogitet, quomodo possit acceptum à patre regnum augere? Plura alia & varia incommoda, quæ regibus & tyrannis obueniunt, memorare possem, nisi ea scirem diligentissime numerata esse à Xenophonte, in eo libello, qui de vita tyrannica inscriptus, ab Aretino nostro viro eloquentissimo latinus est factus, quem te vidisse ac legisse puto.

Habes, quod ad hanc partem attinet, vt mihi quidem videtur, sa-

tis. LAMOLA: Ego vero satis. Cum enim cogito, quibus in laboribus, angoribus & periculis principum vita versetur, non possum nó confiteri, illorum vitam non beatam esse.

Sed quid de magno & potente ciue dixeris? Negabis illum beatum esse, cuius sit summa in Republica dignitas, quem tota ciuitas miretur, quem obseruet, cui cedat, cui obsequi studeat, qui vel in foro regnet, vel in curia? GVARINVS: Ego vero nego. Namque, vt omittam, per quos sudores atq; discrimina amplitudo ista comparetur, quà illos solicitudine affici arbitraris, ne parta dignitate vel inimicorum inuidia, vel fortunæ malignitate, vel sinistro quopiam fato priuentur, ac ne summo dignitatis gradu in infimum excussi ruant. Nec verò principes solum & Reges, quibus boni & potentes ciues, vt plurimum suspecti sunt, sed nec ciuitas quoq; libera magnum ciuẽ æquis oculis potest aspicere, quamuis illũ, propter egregia in patriã beneficia fortunâ quã amplissimâ dignum putet. Hæc autẽ non minus exemplis, quam rationibus comprobari possunt. Quis enim præstãtior Romæ fuit tempestate sua, quam Furius Camillus? Et tamen aliquando, vt scis, optimatũ inuidia & conspiratione exul est factus. Quis Africano maiore, quis minore potentior? Horũ tamen superior apud Linterinũ exulauit, alter suorũ manu, vt quidã putauerunt, enectus, mane inuentus est mortuus. Quis Mario maior? Hic tamen à Sylla fugatus Mynturnarum paludes & alia multa grauia atq; horrẽda pertulit. Quis rursum Sylla florentior? Is tamen à Mario inuicem lacessitus multa detrimenta & clades accepit. Quis Gracchis fortunatior, qui tamẽ patrũ consilio & manu interfecti sunt. Quis Pompeio illustrior? Is postea à Cæsare exagitatus, & vrbe, & omni Italia, expulsus, ab ingratissimo ac nefario Rege, non solum opibus, sed etiã vita, per summum scelus priuatus est. Quis Iulio Cæsare sublimior? Hic tamẽ in Curia, autore Bruto, crudelissime peremtus est. Quæ omnia cum Satyro nostro nota essent, propterea inquit:

Quid Crassos, quid Pompeios euertit, & illum
Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nulla non arte petitus
Magnaq; numinibus vota exaudita malignis.

Cum igitur tot mala amplitudini impendeant, & alia infinita, quæ, ne sim lõgior, memorare supersedi, dicis in amplitudine felicitatẽ esse? LAMOLA: Non audeo ista refellere, ita me exemplis coegisti, vt tecũ sentiã, licet multi fortasse nominari possent, quibus ista dignitas sine periculo extitit. Sed placet audire, quid de his sentias, qui principũ aulas sequũtur, qui vulgo iudicantur omniũ mortaliũ beatissimi. GVARINVS:

Recte-

Recte facere te existimo, Lamola, qui his, quæ dixi, non contradicas. Illa enim & aliis multis argumentis possem, vera esse, defendere. Sed quoniã de aulicis scire vis, de hac quoq; re paucis explicabo, quid sentiam. Ego quidẽ de ea, vt de vita amara & permolesta sentio. Est enim primum omnium inuidiæ telis proposita, nec est ferme quisquã adeo felix, qui hanc sæuissimam pestẽ vitare queat. Quo enim quis melior, innocentior, iustior, eo magis improborũ hominum calumniis & detractionib. patet. Nã, si quis est, qui vel prudentia vel virtute aliqua apud principẽ valeat, in illũ, tanquã in cõmunem hostẽ cæteri, vt euertant, machinas omni arte intendunt. Est enim aularũ consectatrix inuidia. Non cibus, non potus, non somnus, non deniq; requies vlla securè capi potest: & quæ ori suauissima aliquãdo forent, propter continuã solicitudinẽ & laborem fiunt amarissima. Quid quod ad alienum appetitũ epulari, edere cũ nolis, non posse cum velis, ad alienũ somnũ dormire, ad alienũ nutũ loqui, tacere, stare, sedere, ambulare, equo vel pedibus iter facere, necesse est. Huic hominum generi, quid molestiæ, quid miseriæ præferre dixerim? Quid quã graues descensus sunt, quam variæ calamitates, quam varii, quam cæteri casus. Vnus est nobis satis exempli hac in re, Adeus Seianus, quo maior, aut potentior nemo apud Tiberium Cęsarem diu fuit; Hic cum in tantas opes euectus esset, vt vel solus post Cæsarem regnare videretur, ad postremum, siue inuidia, siue alia quacunque causa in tantam principis iram incidit, vt non solum dignitate, sed etiam vita priuatus sit: de quo idem Satyrus:

deinde ex facie toto orbe secunda
Fiunt vrceoli, pelues, sartago, patella.

Et item: *Seianus ducitur vnco*
Spectandus. Ac subinde
Ergo, quid optandum foret, ignorasse fateris
Seianum. Nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata: vnde altior esset
Casus & impulsæ praeceps immane ruinæ.

Quibus ex rebus perspicuum est, nec hos quidem, qui aulis se ingerũt, beatos esse. LAMOLA: Libens te audio his de rebus, Guarine, disputantem. Fit enim, vt quę ego ipse tacita cogitatione voluens, mihi satis persuadere non poteram, te audito non modo reprehendere non audeam, sed certè, vt vera esse non ambigam. GVARINVS: Facile patior, Lamola, te mecum iocari, vt soles, qui quamuis fortasse multa habeas, quæ possis opponere, te tamen argumenta mea refutare non audere inquis, quod te magis facere credo, vt de aliis rebus

disseramus, quam quod non habeas, contra ista quid dicas. LAMOLA: Non est ita, Guarine, vt confidam contra sententiam tuam posse pugnare, sed quod arbitraris me cupere aliis de rebus, ad hanc materiam pertinentibus, à te disputari, medius fidius diuinasti. Nam vt neque in primo, neque in secundo actu deserenda est fabula, sic cum de vita beata disputare cœperimus, non est ea à nobis relinquenda, donec vbi nam sit & cuiusmodi sit, reperimus. GVARINVS: Quanquam res ista difficilis cognitu, ego tamen disputando non defatigabor, præcipuè, cum tu is sis, qui, vbi quid minus belle dixero, reprehensurus non sis. Itaque perge, quæso, & pro more tuo exquire, quid velis. LAMOLA: Cum multos videã viros summo loco natos in militiam proficisci, idcirco, Guarine, crediderim rem militarem hominem beatum præstare posse. Nec te latet, duo esse præcipua, quibus ad summam dignitatem ac rerum statum perueniri possit, Literarum scilicet ac rei militaris scientiam. Atque illud contenderim, quod planè manifestum est, plures infimæ sortis homines militiæ quam doctrinæ claruisse. Habent enim multa commoda milites. Primum omnium, non solum priuatis, sed etiam dominis ac regibus pro voluntate vtuntur. Quod volunt, poscunt, & quod poscunt, impetrant, in vrbium expugnationibus, si quid est pulchri, id iure belli in rem suam conuertunt, militando vident varias regiones, varios agros, varios hominum & populorum mores: quo quidem nihil potest esse iucundius.

Illis præterea licet de rebus militiæ partis Testamentum condere inuitis patribus & quos velint sibi hæredes instituere: quod aliis filiisfamilias communi lege non licet: quibus rebus quid beatius esse statuerimus?

GVARINVS: Magno te animo esse ostendit oratio tua, Lamola mi, qui arma adeo extollis. Sed, quamuis ita dicas, te tamen aliter sentire existimo. Verum vt & hanc partem breuiter absoluamus, haud longius immorabor. Non sum, qui inficias eam, Lamola, in re militari plurimum commodi & ornamenti inesse: Sed, si incommoda cum commodis comparaueris, tum agnosces, quam procul à beatitudine eiusmodi vita remota sit.

Nam quid vita illa durius, quid grauius, quid denique intolerabilius? Quis nummerare queat pericula, ærumnas? & quotidianos belli casus? Nonne vides militanti continue in castris imminere captiuitatem, direptionem, vincula, fugam, mortem? non cibum, non potum, non somnum, non requiem, exigente natura, à se capi posse? non noctu, non interdiu vllam sibi tranquillitatis certam horam dari,

de-

de hostium insidiis vsque suspenso atque solicito: Annonæ & reliquarum frugum inopia persæpe adeo laborare, vt non modo non ad voluptatem, sed ne ad necessitatem quidem illi res suppetant? in tentoriis & plerunque sub dio vitam agentem, nunc frigore confici, nunc solis ardore torreri? vulneribus affectum, chirurgum & remedia, ad curandum vulnus, interdum habere non posse? Quid alia commemorem miserrima, quæ in huiuscemodi vita contingunt, quæ omnia, si mihi sint linguæ centum, sint oraque centum, explicare nullo modo possem. Quæ non pericula sumsit hoc vitæ genus, testimonio nobis sunt, ne semper de Scipionibus & Marcellis loquamur, Braccius Forcias Carmagnola Tartalia, vt reliquos taceam, qui memoria nostra fide perierunt. Sed vereor Lamola, plura de hac re dicere, præsente Antonio, qui huiuscemodi vitam sit expertus sub diuo Alfonso omnium ætatis nostræ Rege celeberrimo, à quo ornatus & excultus diligitur inprimis. Posset illud in me non iniuria dicere, quod Hannibalem illum magnum virum & singularem de Phormione philosopho dixisse ferunt, qui cum de re militari, vt scis, præsente Hannnibale disputare ausus esset, interrogatus quid sibi de Phormionis oratione videretur, neminem ait sibi vnquam magis delirum visum esse quam Phormionem. LAMOLA: Nihil est profecto tibi minus verendum, Guarine, quam ne huic delirus vel ineptus esse videare, cum sit nemo his temporibus, quem ego minus ineptum putem. Sed si in cæteris partibus, de quibus hactenus disputatum est, non contradixi tibi, meque facilem præbui, in hac difficile est tibi tam leuiter assentiri.

Ego enim vitæ beatitudinem vel hac potissimum arte & exercitatione militari adipisci homines posse crediderim. Per hanc enim maxime gloria paritur, qua quidem nihil est mortalibus optabilius. Videtur enim res, vt ait Satyrus, humanis bonis maior atque amplior, & diuina magis quam humana. Hæc enim hominem etiam remotissimis gentibus ac populis, quos nunquam viderit, notum & celebrem reddit: hæc hominem ornat, extollit, illustrat: hæc homini gratiam bonorum conciliat, si iustitia, fide, liberalitate, & cæteris bonis artibus ac virtutibus compararetur: hæc dignitatem, amplitudinem affert: huius gratia magistratus ac summos honoris gradus consequimur, &, quod ego omnium optatissimum iudico, immortales efficimur. Nec enim mortuos dicam Scipionem & Hannibalem, Fabium & Pyrrhum, Cæsarem & Alexandrum, quamdiu nominabuntur, sed viuere potius & ea quidem vita, quæ maxime optanda est: quippe quæ

nulli amplius periculo, nulli inuidiæ subiecta, nulli deniq; labori mancipata sit. Inuenti verò sunt multi, qui hanc ipsam gloriam tanti fecerint, vt illam quocunq; discrimine, atq; etiam voluntaria morte parare non dubitarint. In quo quidem genere Decius, auum, patrem ac nepotem principes dixerim. Nec minus Leonidam Spartanum, de quo illud extat Elogium:

Dic hospes Spartæ nos te hic vidisse iacentes,
Dum sanctis patriæ legibus obsequimur.

Quanquam enim hos mouit patriæ caritas, tamen existimandum est, spem gloriæ & nominis sempiterni non minus quam patriæ caritatem eos ad subeundam mortem tam audacter impulisse.

Demum quid potest esse homini in vita iucundius? Confer cum hac omnes reliquas voluptates, quæ vel animo possint vel corpori contingere; Omnes tibi præ gloria profectò inanes ac friuolæ videbuntur.

Quæ cum ita sint, quid est, quod hanc gloriam abnuas felicitatem afferre posse? GVARINVS: Est profectò difficile dissuadere hoc vulgo, cuius quidem fert opinio, nihil esse in rebus humanis hoc vno præstantius. Sed cum apud te loquar, id est, apud virum philosophiæ studiosum vnde omnis ratio bene viuendi manat, puto fore, vt sine magno negocio, ab ista opinione te amoueam. LAMOLA: Facile credo tibi Guarine, ne forte pro tua summa eruditione atq; ingenio in sententiam tuam me traduceres. Sed ne te longius interpellem, sinam te prosequi orationem tuam, vt videam quid afferas contra ea quę dixi. GVARINVS: Non minus me profectò delectat facilitas tua Lamola, quā hęc nostra disputatio, etsi ea est mihi iucundissima, nec est materia ferè vlla, de qua libentius differam. sed ne te plusculum morer, pergā vt cœpi.

Non inficiabor equidem, gloriam, vt dixisti, illustrare & celebrare homines, eorumq; amplificare dignitatem, multosq; etiam infimi generis per hanc ornatos atq; auctos fuisse. Sed num ista amplificatio dignitatis atq; celebritatis nominis hominē præsentibus contentum valet efficere, vt meliorem, vt sublimiorem statum non desideret? si hoc potest, confitebor: si minus, quid est, quod hanc beatitudinem continere dixerim, cum beatus esse aut appellari, vt iā ante definitū est, nemo possit, nisi qui nulla re omnino carere se sentiat. Sed nū existimabis vel Scipionē, cum apud Linternum, vel Hannibalē, cum apud Prusiā Bithyniæ Regem exulabat, vel Fabium, cū à Minutio Magistro equitum vexabatur, vel Pyrrhum, cum prælio victus in Græciam fugit, vel etiam antequam in hoste graues casus inciderint, fuisse contentos? Ni-

hil profecto minus. Nam & maiora semper animo agitabant, & in secundis rebus atq; successibus, fortunæ impetus formidabant; quibus duobus affectus animus, nec noctu, nec per diem, possit conquiescere. Præterea nominis illa diffusio, quam tu magnã atq; optabilem rem iudicas, quam breuis est, quamq; angusta, ex hoc orbe terrarum, qui ad cœli ambitum instar puncti obtineri à Mathematicis dicitur, quotam partẽ opinaris esse, in quam eorum nominis fama peruenerit? Sed fac peruenisse in omnes terras, atq; in omnes gentes, quid ad te? num quid ob eam causam dolores, solicitudines, molestias, damna, morbos, propulsarunt? si nominis propagatio tollere hæc mala potuit, illos beatos fuisse iudico. Sed eorum varii casus in vita docent, hæc mala per famã, quantacunq; sit, auferri vel vitari non posse. Hæc in vita. Quid post mortem? quam immortalitatem ex hac ipsa gloria oriri dixisti? Quid nunc ad Alexandrum pertinere putas celebratum omnibus terris & gentibus nomen? quid ad Cæsarem, quid ad Marcellum? qui magnitudine nominis & gloriæ orbem terrarum, ab ortu solis, ad occasum, compleuerunt? quid iucunditatis capere aut sentire illos putas? quod nomen eorum omnibus in ore sit, quod ab eis, tanquam magnanimis & præstantissimis regibus atq; imperatoribus capiatur exemplum? Nã si apud inferos sunt, quod talibus viris accidisse dolendum est, quid sensus rerum talium iis relictum putas, vbi alia atq; alia habent, quæ curent? Sed quam graues casus apportet ista gloria & Hannibalis ipsius interitus argumento est, de quo Satyrus:

Finem animæ, quæ res Romanas miscuit olim,
Non gladii, non saxa dabunt, non tela, sed ille
Cannarum vindex, & tanti sanguinis vltor.

de quo idem:

Sed qualis rediit? nempe vna naue cruentis
Fluctibus, & tarda, per densa cadauera, proræ:
Has totiens optata exegit gloria pœnas.

Testes quoque sunt, Darius, Cyrus, Mithridates, Iugurtha: qui omnes, ne quid gloriæ amitterent, vitam amisere. Quod si nec perpetua, nec cõstans est gloria, nec denuo eadem est semper, nec curis, nec laboribus, nec ægritudinibus vacat, liquere puto, in illa, felicitatem, quam quærimus, inesse non posse. Quod vero ad hanc partem attinet, satis multa mihi dixisse videor, nisi quid contra dicis. LAMOLA: Malo, Guarine, à sententia mea recedere, quod tu futurum esse prædixisti, quam aduersari tibi, tametsi mihi argumenta in contrariam partem non desint: ne hoc loco longiores simus, quam proposito

diſputationis ratio poſtulet. Sunt enim alia nondum à me commemorata, quibus fortaſſe cenſebis beatam vitam effici poſſe: quæ, niſi moleſtum eſt, perſequar.

GVARINVS: Tu non velim perſequare? Te enim, paucis eloquar, audiam libens. Placet enim mihi, de hac re, mirum in modum, diſputare, donec, quænam ea ſit, & quibus artibus comparetur, didicerimus. LAMOLA: Pergam igitur, poſtquam haud te grauari video. Fueri multi & item ſunt, qui putent, eam vitam felicitate præcellere, quæ in agro ducitur, præſertim, ſi ex poſſeſſionibus ſuis eos fructus homo percipiat, ex quibus poſſit honeſtè & liberaliter viuere. Habet enim agricultura multa, quæ delectant ac proſunt. Neque enim ſolus fructus, qui ex terra colligitur, delectat: ſed etiam vis terræ vehementius. Quid enim dulcius, quam videre ipſis prope oculis, creſcentes ſenſim in agro fruges, & ſemper noui quidpiam gignentem terram? quid voluptuoſius, quam aſpicere arentes prius hyberno rigore arbores ſub vernum tempus reuireſcere, ac paulatim cum frondibus baccas emittere: vites ornari pampinis, floribus prata veſtiri: quid ſyluis ac nemoribus ad declinandum ſolis ardorem amœnius, tum ad venationes atq; aucupia delectabilius? quid deniq; mirabilius conſitionibus, inſitionibusque: quæ quidem à magno ingenio ſolertique inuenta ſunt: Quid autem de fructu loquar, qui quidem ex ipſa terra, non abſq; magno fœnore percipitur, vt non modo neceſſarios, ſed etiam liberales vſus ſuppeditet? qui huiuſmodi vitam agunt, hos fortunatos Poëtarum princeps appellat, hoc pacto inquiens:

O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Agricolas: quibus ipſa, procul diſcordibus armis,
Fundit humo facilem victum iuſtiſſima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Mane ſalutantum totis vomit ædibus vndam,
Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes,
Illuſasque auro veſtes, Ephyreiaque æra:
Alba nec Aſſyrio fucatur lana colore:
Nec caſia liquidi corrumpitur vſus oliui:
At ſecura quies & neſcia fallere vita,
Diues opum variarum: & latis otia fundis,
Spelunca, viuique lacus, & frigida Tempe,
Mugitusque boum, molleſque ſub arbore ſomni
Non abſunt: illis ſaltus & luſtra ferarum,
Et patiens operum, paruoque aſſueta iuuentus:

Sacra

Sacra Deum, sanctique patres, extrema per illos
Iustitia excedens terris vestigia fecit.
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini:
Hanc Remus & frater: sic fortis Hetruria creuit:
Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma
Septemque vna sibi muro circumdedit arces.

Habes ex hisce Maronis versibus, quæ vtilitas, quæve delectatio ex Agricultura capiatur. In huiuscemodi vita senectutem suam consumsisse fertur M. Curius, post triumphum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho partum. In hac etiam Quinctius Cincinnatus, & illius seculi senatores penè omnes extremam ætatem peregisse perhibentur. A villa, inquit Cicero in Catone suo, accersebantur in Senatum Curius & cæteri senes: ex quo, illos qui accersebant, viatores nominati sunt. Equidem Guarine, si ad hoc vitæ genus probitas, æquitas, fides & continentia accesserint, hanc vel solam beatam vitam audebo dicere. GVARINVS: Atqui, Lamola, ex omnibus vitæ generibus quæ adhuc commemorasti, nullam vitam esse arbitror, quæ ad felicitatem hanc, quam quærimus, propius accedit. In ea enim inest summa animi delectatio & à laboribus requies, non mediocre vitæ condimentum: in hac, quod ad victum cultumque corporis attinet, omnium rerum copia, &, vt ait Cato, in hoc nec nihil, nec omnino sunt omnia. Neque enim est eiusmodi, neque certe eam vim habet rusticana vita, quemadmodum de opibus & gloria asseueraui, vt molestiis, vt laboribus, vt damnis, vt periculis, vt æmulatione, vt iniuria, liberare hominem possit ita, vt doleat nunquam, angatur nunquam, perturbetur.

In tantis bonis & voluptatibus eorum, de quibus modo mentionem fecisti, quot infortunia, quot calamitates, quot solicitudines interuenisse putas? quibus vexati atque affecti, nullam in rebus humanis felicitatem esse cognouerunt. Nam, vt alia taceam incommoda, qua putas molestia agricolam affici, cum spem anni & expectatas ad maturitatem fruges, vel grandine, vel nebula, vel siccitate amiserit? vel si æris alieni causa ab opere in vrbem distractus fuerit? Itaque hanc vitam, tutiorem esse te dicere patiar, beatam verò nullo modo. LAMOLA: Non audeo multum refragari opinioni tuę, præcipue hac in parte, vbi de voluptate fit mentio, ne tu me ex Epicuri Schola vnum putes, cuius ego opinionem & sectam semper improbaui, atque despexi. Neque enim dignam vnquam duxi, præstanti animo & liberali ingenio voluptatem, quæ quo maior est ac diuturnior, omnes animi vires opprimit. GVARINVS: Recte tu quidem & verè. Semper enim asper-

nandos & fugiendos existimaui, qui voluptatem vel summum in vita bonum esse, vel felicitatem homini conferre posse, defendunt. Quod verò in agris vita beata reperiri non possit, satis mihi dixisse videor, nisi quid aliud requiris. LAMOLA: Ego verò requiro & à te aliud volo, nisi graueris, sed non vt contradicam iis, quæ dixisti, nec prius hanc disputationem deseram, quam intelligatur, quibus artibus hæc felicitas acquiri possit. GVARINVS: Perbenignè & more tuo facis, quod nunquam contra veritatem pertinaciter contendis. Vbi enim agnoscis susceptam à te quæstionem ratione defendi non posse, das manus, atque arma aduersario remittis, nec nimis acriter impugnare veritatem sustines. LAMOLA: Ego neutiquam viri boni officium puto, contra veritatem multa differere. Quid enim indignius esse potest, quid impudentius, quam, contra id, quod honestum & verum scias, etiamsi abundes argumentis, verbosius contendere, quandoquidem ab ingenii & doctrinæ ostentatione quadam proficisci videatur. In quo quidem genere multos reperies. Plures etiam videre licet, qui etsi errare se sciunt, tamen, pertinacia quadam inducti, opiniones suas obstinatè defendunt, quos etiam longè magis reprehendendos putarim, quam eos, qui scientes, docti tamen & eruditi contra veritatem pugnant, vt aduersariorum argumenta perspiciant: nisi forte id agunt, quo melius, quid veri in vnaquaq; re sit, dignoscatur. Itaque Guarine in sententiam tuam, præsertim quam veram existimem, venio non repugnanter. Id fit, ne tu me ingenio vel scientiæ nimium confidere arbitreris, aut in tuenda sententia pertinacem putes: quod præsertim contra te præceptorem meum iniquum puto. Sed his omissis ad reliqua pergamus, nisi forte in crastinum diem disputationis reliquum differri mauis. GVARINVS: Licet libenter recrearé animum assiduo legendi labore defessum, tamen, quoniam non minorem, quam tu, ex huiusmodi disputatione voluptatem capio, propterea perfici, quod cœptum est hodie, quam in crastinum extrahi peropto. LAMOLA: Perplacet & id profecto, multo iucundius. Dic igitur Guarine, num sacerdotum vitam negabis beatam esse, qua quidem, vt fert communis opinio, nulla beatior esse potest. In hoc enim genere vitæ ea omnia inesse censentur, quæ ad felicitatem pertineant. Hæc est ea, per quam possis ad summam omnium dignitatem, ad summas opes atque diuitias euehi. Potes enim fieri Pontifex Maximus, quæ quidem dignitas autoritate, honore, potestate, omnibus humanis dignitatibus antecellit. Est enim in terris par Christo Deo nostro, cuius ipse vicarius est, quo

quid

quid maius atque ſublimius optari poteſt? Maior eſt profecto atque amplior, quam Regum poteſtas. Regibus enim in corpora tantummodo, huic vero etiam in animas licet aduertere. Habent iſti lauti ſacerdotes & pileati affatim omnia, quæ ſuppeditent ad victum & ad cultum corporis, nec ad neceſſitatem modo, ſed etiam ad ſummas & exquiſitiſſimas vitæ delitias, miniſtros ſplendidos, equos egregios, mulas inſignes frenis aureis, vaſa argentea, precioſam ſupellectilem, purpureas veſtes, quibus non modo ſeipſos exornant, ſed etiam equos inſternunt. Quid plura? Habent omnia, quæ votis & precibus à ſuperis peti poſſint.

Hæc cum ita ſint, cur hos beatos eſſe abnueris?

GVARINVS: Si ita, vt dicis Lamola, ſentires, quod ego non puto, magno te errore teneri dicerem, & non difficulter fortaſſe conuincerem. Sed facile patior te iocari mecum. Nam, vt ad rem veniam, quot, quibusve curis, ſacerdotes affici opinaris, non ſolum augendæ dignitatis cauſa, ſed etiam amiſſæ liberius viuendi licentiæ: cum nec vxoris potiundæ poteſtas ſit, nec ex ſe genitis manifeſto gaudere, nec ſibi legitimos hæredes parare, qui partis fruantur bonis: Cumque illa, quæ tanta cura & ſtudio congeſſerunt alienis relinquenda eſſe recordantur. Omitto, quanta pecuniæ cupiditate teneantur, quamque in ea conquirenda diligentes ſint. Ex qua vna re ſatis iudicari poteſt, illos præſenti rerum ſtatu non eſſe contentos, quoniam alia ſuper alia deſiderent. Quapropter recte concludi meo iudicio poteſt, nec in hoc quoque genere vitæ felicitatem poſſe conſiſtere, quum felicitas ab ambitione, anxietate atque auaritia ſeiuncta ſit.

LAMOLA: Facile adducor, Guarine, vt tibi aſſentiar, in iſtis curis & cupiditatibus beatam vitam eſſe non poſſe. Et ſanè, cum cogito, quæ de illiuſmodi vita dixiſti, te nihil mentitum intelligo. Sed quando in iis vitæ generibus, de quibus hactenus diſſeruimus, beatitudinem eſſe negaſti, credo me reperiſſe aliud vitæ inſtitutum, quod tu ipſe probes, quove felicitatem contineri non neges: quod mihi eo facilius perſuaſi fore, quoniam tu id ipſum vitæ genus ex omnibus delegiſti, quod non puto perſecutus eſſes, niſi te per id beatum putaſſes fore. GVARINVS: Et quodnam illud dices fore, Lamola? Studiumne bonarum artium atque doctrinæ? LAMOLA: Id ipſum. GVARINVS: Qua ratione iſtuc? LAMOLA: Quoniam bonarum artium literarumque ſcientia multa in ſe habet, quæ hominem iis deditum beatum reddere poſſe

videantur. Nam vt omissis Grammaticæ studiis à Rhetoricis incipiam, quę ars tua est & in qua ætatis nostræ consensu omnium principatum obtines, est quidem ipsa siue Rhetorica, siue oratoria facultas omni suauitate atque vtilitate cumulata.

Quid enim illa præstabilius, vt ait Eloquentiæ pater Cicero, vel admiratione audientium, vel spe indigentium, vel eorum, qui defensi sunt, gratia? quæ voluptas, cum eleganti & copiosa oratione conferri potest? Quam delectat illa reconditorum verborum vis cognita? quam delectat rerum, ad causam, de qua agitur, accommodata inuentio? quam delectat inuentorum artificiosa dispositio & collocatio? quam delectat compositio, elegantia & dignitas orationis, quam elocutionem appellamus? quam delectat inuentarum rerum thesaurus, quæ est fidelissima custos memoria? quam denique delectat moderata pronunciatio? quid item fructuosius aptiusve ad hominum gratiam, ad opes & ad amplitudinem camparandam? Hoc enim beneficio, qui vel famæ vel capitis periculo liberantur, eos non modo sibi adsciscit orator atque conciliat: verum etiam adiutores efficit, & amplificatores dignitatis suæ, atque in quacunque causa fautores. Erat hæc facultas olim coniuncta cum Iuris ciuilis scientia, cui quidem semper in omni bene morata ciuitate, vt ait Cicero, principatus est datus: nec immerito. Per hanc enim Respublicæ augentur atque conseruantur: & idcirco huius scientiæ fructum ab oratoriæ vtilitate non diuidam, & quæ de dictione dicta sunt, eadem & de legibus dicta erunt. Quid verò dulcius, quidve humano generi conducibilius, quam clarorum hominum, id quod est oratoris proprium, res gestas, vnde ad bene viuendum, ad subeunda pro patria pericula, honestissimum exemplum sumi potest, literis mandare, atque omnibus posteris, omnique æuo consequenti notas reddere? Omitto iam oratoriam. Quid, ipsa philosophorum studia, quam plena fructu & delectatione sunt? Hæc enim philosophia dux vitæ est, vt inquit Cicero, virtutum indagatrix, expultrixque vitiorum: Hæc inquam illa est, quæ docet, quid in vita faciendum, quid fugiendum sit: Hæc quæ sint prudentiæ, fortitudinis, iustitiæ ac moderationis officia explicat: Hæc è duobus honestis vtrum honestius & probabilius sit, exponit: hæc quid vtilius in vita, & quibus artibus hanc vtilitatem adipisci possumus, & similiter duobus propositis vtilibus vtrum sequendum sit, explanat: hæc, si qua contentio vtilis & honesti esse videatur, vtram rem aggredi debeamus, decernit: hæc est inquam illa ars, quæ vrbes peperit, quæ dissipatos & vagos ritu ferarum homines ad vitæ societatem conuocauit: hæc homines

inter se primo domiciliis, deinde connubiis & affinitatibus coniunxit: hæc eadem leges inuenit, hęc Rerumpublicarum sanctissima instituta condidit: hæc magistra morum, & cuiuscunque bonæ disciplinæ extitit. hæc denique animi morbis medetur, languores sanat, dolores expellit, solicitudines leuat, molestias tollit, &, quod omnium primum iudico, docet fortunam euincere. Alterius verò partis philosophiæ, quæ est de rerum natura, quanta est; bone Deus, in disputando suauitas, quanta in tradendo vtilitas? Ex ea namque principia rerum causasque cognoscimus. Ex ea, quid sit anima, vtrum creata à Deo, an æterna sit: vtrum mundus perpetuo fuerit, an à Deo factus: vtrum elementa corrumpantur, an maneant: vtrum humana corpora de elementis participent: quot & quæ elementa sint: vtrum stella maior sit quam terra, vtrum sol maior sit stella: vtrum à centro mundi ad omnes circumferentias lineæ ductæ sint æquales? Ex hac etiam ventorum, imbrium, grandinum, fulgurum, turbinumque causæ dignoscuntur, & ex quibus ista generentur. Ex hac Lunę, Mercurii, Veneris, Solis, Martis, Iouis & Saturni cursus, nunc rectos, nunc obliquos licet ediscere: quot diebus Luna, quot mensibus planetæ orbes suos cursusque conficiant, & vt Virgilii verbis vtar:

Hæc canit errantem Lunam Solisque labores:
Arcturum, Plyadasque Hyadas: geminosque Triones.
Quid tantum Oceano properent se tingere Soles
Hyberni: vel quæ tardis mora noctibus obstet.

Eiusdem Philosophiæ beneficio Deum agnoscimus, &, mundum absque autore & rectore, nec esse, nec consistere posse, comprehendimus, cæterosque super nos spiritus, & cætera, quæ cœli ambitu continentur, agnoscimus. Eiusdem artibus morborum & ægritudinum causas percipimus. Eiusdem artibus ac remediis ægroti curantur, & in pristinam valetudinem reducuntur. Quarum rerum omnium cognitione & intelligentia, quid excogitari potest beatius? quove magis alatur & vegetetur animus? Hosce Philosophos si Maro noster felices statuit, qui ait:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas;
Atque metus omnes & inexorabile fatum
Subiecit pedibus strepitumque Acherontis auari.

Et nos, Guarine, cur non beatos ducemus? Nec Musicam tacitus prætéribo, qua quid potest esse ad creandos ab opere ac reficiendos animos accommodatius? quid auribus lenius? quid suauius? vt omittam quanta sit delectatio in ipsa cantus ratione, in vocis mollitudine

ac firmitate, in citharæ & cæterorum instrumentorum canoris fidibus, quarum tantam artem ac rationem Timotheus ille Musicus tenuisse dicitur, vt Alexandrum, cum vellet è conuiuio ad arma compelleret, & rursum, mutato sono, ab armis ad epulas reuocaret.

In ipsa verò poësi, vt de studio Antonii nostri loquar, ex quo est summam laudem & gloriam consecutus, quam dulcedinem, quo ad animi pabulum inesse putas? Audiui sæpe ex eo, tanta, illum interdum aliquid componentem, oblectatione detineri, vt omnium negotiorum oblitus beatissimus sibi esse videretur, nec aliquid haberet, cum hac suauitate comparandum. Qua igitur Virgilium, Iuuenalem, Ouidium, Tibullum, Horatium, & reliquos clarissimos ac pręstantissimos Poëtas, voluptate affectos putas? cum voluntati inuentio, inuentioni carmen succedebat? Meâ quidem sententiâ nulla beatior vita esse potest. Cum itaque in iis omnibus, quæ commemoraui, doctrinæ generibus, tanta insit animorum oblectatio, vt fructum taceam, qui ex his vberrimus percipitur, quidnam afferre potes, Guarine, cur non credam, hoc vitæ genus beatum esse, & hominem horum studiorum in aliquo versantem posse beate viuere? GVARINVS: Audiui te, magna cum voluptate, Lamola mi, omnia liberalia studia percurrentem, omnesque artes ingenuas, earumq; proprietates & laudes disserentem. Vt aũt ad rẽ veniã, facile tibi concesserim, multã in his studiis suauitatẽ ac delectationẽ esse; Maximè enim hominis ingenio naturæque cõueniunt, cuius est propriũ sapere. Idcirco etiã, cũ otiosi sumus, aliquid legere & discere expetimus, notitiamq; rerum reconditarũ ad vitæ felicitatẽ pertinere putamus. Hoc est illud, quod inquit Cicero in officiis.

Ex quatuor autẽ locis, in quos honesti naturã vimq; diuisimus, primus ille, qui in veri cognitione cõsistit, maxime naturã cõtingit humanã. Itaq; cũ sumus necessariis negotiis curisq; vacui, tum maxime auemus aliquid videre, audire, discere: cogitationemq; rerum, aut occultarum, aut admirabilium, ad beatè viuendum necessariam ducimus.

Quod autẽ dicis, magnã vtilitatẽ ex eisdẽ studiis percipi, id fortasse cõtingit quibusdã paucis, vel, si vis etiã, Antonio & mihi, quib. est, Dei munere, vnde vita cũ dignitate ducatur. Sed non idẽ omnibus doctrinæ studiosis & eruditis hominib. fortasse suppetit. Vides enim multos viros, ingenio ac doctrina pręstanti rei familiaris inopia laborare, iacere humi, negligi à locupletibus, à principibus contemni; quorum fere nullus est hac nostra tempestate qui literatorũ ingeniis faueat, præter Alfonsum, Regẽ omnib. ornamentis naturæ atq; fortunæ pręditũ, qui hunc poetã nostrum excepit, exceptũ erexit, erectũ ditauit, annuo salario sibi in omne tempus vitę constituto, & hunc Leonellũ Marchio-

nem eiusdem Regis generum, non minus eloquentem & dicendi suauitate, quam fortunis & opibus illustrem. Nec est tamen id solum huius seculi nostri vitiũ. Namq; & Iuuenalis nostri temporibus paruo in precio bonæ artes & disciplinæ erãt, vnde est illud à se dictũ de Poetis:

cum iam celebres notiq; Poetæ
Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos
Tentarent, nec fœdum alii, nec turpe putarent
Præcones fieri, cum desertis Aganippes
Vallibus esuriens migraret in atria Cleio.

Et illud de oratoribus:

Spes nulla vlterior, didicit iam diues auarus
Tantum admirari, tantum laudare disertos
Vt pueri Iunonis auem.

Et illud de causidicis;

Dic igitur quid causidicis ciuilia præstent
Officia & magno comites in fasce libelli?
Quod vocis pretium, siccus petasunculus, & vas
Pelamydum, & veteres Afrorum epimenia, bulbi:
Aut vinum Tiberi deuectum, quinque lagenæ:
Si quater egisti, si contigit aureus vnus,
Inde cadunt partes ex in fœdere pragmaticorum.

Et illud de historiographis:

Quæ tamen inde seges? terræ quis fructus apertæ?
Quis dabit historico, quantum daret acta legenti?

Et illud de Rhetoribus:

Quis color & quod sit causæ genus, atque vbi summa
Quæstio, quæ veniant diuersa parte sagittæ,
Scire volunt omnes, mercedem soluere nemo.

Et illud de Grammaticis:

Quis gremio Enceladi, doctique Palæmonis adfert
Quantum Grammaticus meruit labor?

Et reliqua quæ ille prudentissimus executus est.

Potes igitur, Lamola, in tantis angustiis positum hominem, quamuis doctum & eruditum, præstantemq;, beatum existimare? Ego verò non censeo. Sed, vt inquit Catoni Lælius, sibi fortasse propter opes & copias & dignitatem suam, tolerabiliorem videri senectutem, id autem multis non posse contingere: sic qui hisce rebus, quæ ad vitam necessariæ sunt, caruerit, hunc beatũ esse non posse, quoniam is contentus eo rerũ statu esse non possit. Quis autẽ est ex omni mortalium.

numero, qui nunquam re vlla omnino careat, quã adipsci non possit? Quid quod hæc doctrinæ & bonarum artium studia plerisque claris viris exitio fuerunt? vt illos ad postremum talibus rebus operam indulsisse fortasse pœnituerit. Nescis Antonium, Ciceronem, Demosthenem, omnium ætatum, omnium seculorum, omnisque memoriæ oratores præstantissimos, & item Socratem & Anaxagoram, Calisthenem, Zenonem, summos ac celeberrimos Philosophos, à tyrannis crudelissimè interemtos esse. Nam de Cicerone ac Demosthene hoc dicit Satyrus:

Eloquio sed vterque perit orator: at illum
Largus & exundans letho dedit ingenii fons,
Ingenio manus est, & ceruix cæsa, nec vnquam
Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli.

Illud de Cicerone: hoc de Demosthene:

Saeuus & illum
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ
Torrentem, & pleni moderantem frena theatri:
Quem pater ardentis massæ fuligine lippus
A carbone & forcipibus, gladiosque parante
Incude, & luteo Vulcano ad Rhetora misit.

Ex hisce potes intelligere Lamola, nec in diuitiis, nec in potentia, nec in amplitudine dignitatis, nec in regno, nec in gloria, nec in re militari, nec in agrorum cultura, nec in sacerdotio, nec in studiis literarum, hanc esse, quam quærimus, felicitatem, de qua iam dudum à nobis disputatum est, veram esse illam Satyri nostri probatissimam grauissimamque sententiam ita dicentis.

Omnibus in terris, quæ sunt à Gadibus vsque
Auroram & Gangem, pauci dignoscere possunt
Vera bona, atque illis multum diuersa remota
Erroris nebula. quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? quid tam dextro pede concupis, vt te
Conatus non pœniteat, votique peracti.
Nocitura toga nocitura petuntur
Militia, torrens dicendi copia multis
Et sua mortifera est facundia, viribus ille
Confisus periit admirandisque lacertis.

Hoc idem Horatius sentiens aliis verbis expressit, hunc in modum inquiens:

Qui fit, Mæcenas, vt nemo, quam sibi sortem

Seu

Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa
Contentus viuat? laudet diuersa sequentes?
O fortunati mercatores, grauis annis
Miles ait multo iam fractus membra dolore:
Contra Mercator, nauim iactantibus Austris,
Militia est potior. quid enim? concurritur. Hora
Momento cita mors venit, aut victoria læta.
Agricolam laudat Iuris Legumque peritus
Sub galli cantum consultor vbi ostia pulsat:
Ille datis vadibus, qui rure extractus in vrbem est
Solos felices viuentes clamat in vrbe. & reliqua.

Quas ob res, quænam vita beata sit, atque vbi sit, & quomodo parari possit, repetendum est altius. LAMOLA: Visne igitur, Guarine, quoniam disputando mihi defatigatus aliquantulum videris, & iam dies declinat ad vesperã, ac prętereа difficillima pars totius huiusce disputationis relicta est, id quod superest, in crastinum diem transferri? GVARINVS: Mihi quidem nihil molestum erit, quod tibi placere intelligam, siue disputare, siue differre velis. Nam, quod ais me tibi defatigatum videri, non est ita. Neque enim me disputationis eiusmodi satietas percipere vnquam posset, etiamsi totum triduum ieiuno mihi disserendum foret, præsertim cum te & Antonium tam faciles mihi habeam, vt non omnia mihi necessario exprimenda putem, ad ea probanda, quæ persuadere intendam. Quod restet potissima & difficilima pars susceptæ disputationis, in eo abs te profecto nõ dissentio. Suadere verò nobis, vt dicis, instans vespera videtur, vt animos ab hac disputatione relaxemus, & aliquantulum otiemur. Quapropter censeo, quod reliquum est in crastinum differamus. Sic & Antonius veniet ad dicendum paratior. ANTONIVS: Et ego itidem censeo. Eamus hinc igitur, & hortulos aliquos petamus, vbi laxamenti quippiam animo pariter & corpori demus.

Tum silentium subsecutum est, atque inde discessum. Postridie cum sub meridianum tempus Guarinus & Lamola ad Antonium, salutandi gratia, profecti essent: Visne Guarine, inquit ANTONIVS: ad hesternam disputationem reuertamur, & quænam sit ista felicitas, accuratius indagemus? GVARINVS: Volo id quidem, Antoni, nec est aliquid, quod agam minus inuitus. Quid enim mihi tali disputatione potest esse iucũdius? Sed censeo hanc partem abs te tractandam atq; explendam esse, vt fuerat constitutum. LAMOLA: Recte dicis, Guarine, & id æquum est. Scit enim Antonius, ita conuenisse mecum hesterno

die, cum me ad disputandum impulit: nec puto eum adeo difficilem fore, quin id ipsum ab eo impetremus non grauate, si consuetudinem suam tenuerit. Solet enim in omnibus rebus & tractabilē & exorabilem se præstare, nec omnino cuiquam mortalium in vllo genere officii cedere. Quamobrem, vt iam ad te loquar, Antoni, omni prorsus excusatione summota, partes tuas suscipies, nec te vehementius rogari patiere, nec studia nostra, qui te audire cupimus, de beata vita quid sentias, quippiam demoreris. ANTONIVS: Etsi res ipsa permagna est adeo quod nescio quæ maior, tamen vt vestræ voluntati obsequar, dicam quid de illa sentiam, sed ea lege, vt cum ostendero, si tamen id potero, in rebus humanis felicitatem esse non posse: tu, ô Guarine, vbi ea sit, & qualis, explices. GVARINVS: Tu quod tuum est munus Antoni, in primum exequere: ego isthuc posterius videro. Neque enim is sum; qui, aut tuæ, aut Lamolæ voluntati, præsertim honestissimæ, defuturus sum. ANTONIVS: Recte dicis. Incipiam igitur de re dicere. Omnis beatæ vitæ ratio, vt mihi quidem videtur, ex summi boni opinione ducitur. Videndum igitur in primis cēseo, quid de summo bono philosophi veteres, quid Theologi nostri senserint. Omnis siquidem sapientum inuentio & cogitatio ad hoc vnum confertur, hoc vnum spectat, vt felicitatem consequamur. Nam si quid erit melius, quod se non adeptum quis existimauerit, is certe hac felicitate caruerit. Affectus enim illius boni potiundi cupiditate, quo se carere senserit, quieto animo esse non poterit, sed semper angetur, & appetitione eius, quod præstantius opinabitur, dies noctesque torquebitur. Ita fiet, vt semper aliquid ad cumulatam felicitatem deesse sentiat. Cæterum de bonorum finibus aliter philosophi veteres, aliter nostri sentiunt. Quinimo & inter ipsos antiquos, vt scis, quid sit supremum bonorum omnium, summa discrepatio atque dissensio est: quorum sententias dico eas, quæ magis vel defensæ vel impugnatæ fuerint, quo breuius potero exponam, ac simul ostendam, si id quoque potuero, quam falsa fuerit eorum opinio. Sunt qui summum bonum in voluptate ponant, vt Aristippus & Epicurus: Sunt qui in doloris priuatione, vt Diodorus: sunt qui in indolentia, vt Hieronymus: sunt qui honestati voluptatem adiungant, vt Calipo & Dinomachus: sunt qui in scientia, vt Herillus: sunt qui in sola virtute & honestate, vt Zeno & Stoici: sunt qui in bonis animi & corporum & fortunæ, vt Aristoteles & Peripatetici. Nam de Academicis nihil dicam, qui de finibus bonorum & malorum videntur cum Peripateticis consentire, sed in eo vno differre, quod,

quod, quemadmodum Peripatetici affirmant ita esse, aut non esse, sic illi, vitata affirmandi arrogantia, dicunt sibi ita videri aut non videri: quarum omnium sententiarum, quam iusta quæque sit, breuiter videamus.

Qui voluptatem summum bonum existimant, eorum sententiam confutare haud laboriosum puto, præcipue cum à Cicerone, Seneca, Lactantio, vt alios taceam, grauissimis verbis atque sententiis perfracta sit. Ac primum omnium, cuiusmodi res sit voluptas, ex ipsius verbi definitione iudicari potest. Nam, si est, vt Ciceroni videtur homini definiendi peritissimo, *lætitia vehemens in animo, & commotio suauis iucunditatis in corpore, siue iucundus motus in sensibus*: vel est, vt Stoicis placet, *sublatio animi sine ratione opinantis se magno bono frui, quidnam dici potest à summo bono alienius?* Esset enim hoc tantum bonum nobis primum commune cum belluis. Illæ enim rationis & orationis expertes ad voluptatem omnia referunt: seque id vnum optare & sequi affirmarent, si naturæ beneficio loqui possent. Quid quod etiam multa à bestiis fieri cernimus, vt in enutriendis & tuendis ex se natis, quæ quidem non ad finem voluptatis, sed potius cuiusdam à natura in suos insitæ caritatis proficisci videantur?

Quid igitur foret absurdius, quam nobis statuere illud supremum bonorum omnium, cuius non expertes sint pecudes: vel in quo etiam ab illis quodammodo superemur? Nam cum dederit nobis Deus excellentem primo figuram corporis & staturam arrectam cœlumque intuentem, mutis verò animalibus pronam & humi spectantem, non est profecto in hominum numero habendus, qui eandem, quam bruta, sibi proponat & statuat summi boni rationem. Cumque ipse Deus nobis ingenium, rationem ac memoriam dederit, quarum rerum expertes sunt pecudes, quibus discernere possumus, quantum ignominiæ ac turpitudinis in voluptate sit, extremæ sane insipientiæ existimandum foret, rem tam vilem tamque despectam, non modo summum bonum, sed etiam bonum dicere. Quin etiam ipsa natura, quæ de genere humano optimè merita iudicatur, cum homini rectam, proceram staturam & cœlum inspicientem, vt dixi, & corpori sensus tribuerit, vt omittam, quæ animi sunt, quibus carent cætera animalia, de nobis profecto male merita videretur, si homini non aliam, quam pecudi, summi boni appetitionem impressisset. Huc accedit, quod nulla res perniciosior, nulla pestis acerbior, vt Architas ille Tarentinus

ait, hominum vitæ reperiri potest, quam voluptas. Hinc enim omnium malorum genera nascuntur. Nullum siquidem est tam impium, tam atrox, tam nefarium facinus, ad quod suscipiendum atque exequendum voluptas hominem non compellat. Hinc, multarum vrbium euersiones, ne homicidia, ne alia scelera proferam, sæpenumero consecutæ sunt, quas enumerare non est necesse. Sunt enim in promtu. Nam, vt omittam Troianum excidium, in quo tot hominum millia periere, nonne & in Gallia Transalpina, quæ patrum nostrorum memoria, vel etiam temporibus nostris, prouincia totius orbis terrarum florentissima extitit, propter huiuscemodi pestem subito defloruit? & in maximas calamitates incidit? Aiunt huius sectæ atque hæresis Philosophi, si tamen sunt Philosophi nominandi, virtutem ideo colendam atque expetendam esse, quod ea sit efficiens voluptatis: quæ quidem vox mihi pecudum videtur esse, vt inquit Cicero, non hominum. Non erubescunt imprudentes, ne dicam impudentes, homines efficere virtutem, qua nihil præstabilius homini à superis datum est, ministram & ancillam voluptatis. O præclaram philosophiam! ô summam, ô singularem sapientiam! quæ imperium & principatum in homine obtinet, hanc indignissimę rei famulatui & seruitio subdere non verentur, nec intelligunt, quam sordidus esset virtutis finis, si ea nihil melius voluptate hominibus pararet. Ego quidem nunquam illud bonum appellandum putaui, quo non posset eius possessor honeste gloriari, nedum illud putem summum & excellētissimum omnium. Quis autem est, nisi omnino amens, vel certe impudens, qui in bonorū conuentu, percepta voluptate, gloriari sine rubore audeat? Hîc quispiam forte dixerit: Tu de corporis voluptate tantummodo intelligis, non animi. Ego verò de vtraq; loquor. Licet in ea quæ corporis est nisi turpitudo maior ea videtur ratione: quod hic finis non à beluarum fine seiunctus. Nec sit verisimile, nec certe æquum, hominem ac pecudem sibi idem tanquam signum proponere, ad quod consilia atq; actiones suas dirigat intendatq;. Vt autem exemplis fiat illustrior, num censemus Curium, qui se armatum præcipitauit in illum immanem terræ hiatum, voluptatis causa mortem obiisse? num Scæuolam, voluptatis causa, manum, quę errauerat, in ignem iniecisse? num Brutum, Romanæ libertatis autorem, filios securi percussos, voluptatis gratia, peremisse? num Torquatū Latino bello filium eius strenuū virum & victorem voluptatis causa morti deuouisse, & in medios hostes citatis equis percurrisse? num Marcum Regulum ad mortem indubitatā voluptatis causa reuertisse? nū M. Curium oblatum sibi à Samnitibus magnum
auri

auri pondus, voluptatis causa respuisse? num Fabricium ingentes Pyrrhi pollicitationes voluptatis causa spreuisse? num priorem Scipionem vxoris nobilis Celtiberi, qua nulla erat in tota Hispania formosior, voluptatis causa à concubitu abstinuisse? num Alexandrũ ab vxore filiaq; Darii, præstantissima forma reginis, voluptatis causa animum inuictum præstitisse? num Solonem, Lycurgum & cæteros Legumlatores, voluptatis causa leges condidisse? num ipsos philosophos, tam laboriosis conatibus, voluptatis causa, vitam contriuisse? num deniq; Themistoclem, Periclem, Cyrum, Agesilaum, Alexandrum? num Fabium, Marcellum, Marium, Syllam, Cæsarem, Augustum, qui res tam amplas, tamq; magnificas gerebant, voluptatem respexisse? Aliud profecto, aliud, inquam, præstantius atq; excellentius sibi animo proponebãt, decus videlicet, famam ac gloriã, licet & ipsi veri summiq; boni perfectam cognitionẽ non tenuerint, & meo iudicio etiã errauerint.

Præterea summum bonum, quo iure quis dixerit, quod instabile, caducum, momentaneum, fluxumq; sit? Quis autem ignorat, voluptatem siue corporis, siue animi velis, infirmam esse atq; mutabilem. Sed quod ad illos attinet, qui voluptatem summum bonum censent, satis dictum sit.

Qui doloris priuationem summum bonum esse dixerunt, ii planè mihi videntur, vel podagra, vel laterum dolore aliquando affecti, ita sensisse. Nihil enim est, quod vehementius optet ægrotus, quam doloris vel morbi detractionem. Sed vt ait Paccancius noster, homo in disputando peracutus, quid potest dici magis ridiculum, quam id pro summo bono habere, quod à medico consequi dolens possit? Nam si id summum bonum esset, dolor vtique sæpe optandus foret, vt dolore sublato, esset postea, quod magis gauderemus. Ex quo plane consequens esset, illum parum felicem esse, qui parũ doluisset, felicissimum verò, qui plurimum: quod quam sit absurdum vides.

Qui autem indolentiam summum bonum statuunt, nonne idem facere videntur, quod hi volunt manere vt dici solet, aliquid designare. Illud enim sibi bonum effingunt, quod tantum à superis petere, non nobis dare valeamus. Nam in cuius potestate esse dixerimus, præstare de seipso, ne vnquam doleat? Hoc certe non à virtute, non à doctrina, non à ratione, non à consilio, sed tantum à Deo consequi possumus. Profecto qui ita sentiunt, eorum mihi videntur esse persimiles, qui talem sapientem fingunt, qualis adhuc, vt Cicero inquit, inuentus est nemo. Quid autem est stultius vel ineptius, quam ea commentari, sibique pro maximo omnium bono proponere, quod per se

adipisci nemo possit? sane qui hanc doloris vacuitatem summum bonum dixit esse, is non satis videtur intellexisse id quod Aristoteli placet & Cicero meminit, vt bouem ad arandum, vt equum ad vehendum & militarem vsum, vt canem ad venandum, sic hominem ad res duras atq; asperas natũ esse. Quid enim loci habet fortitudo, quæ homines maxime illustrare & celebrare consueuit, si homini nunquam aliquid aduersi contingeret, propter quod aliquãdo dolendum esset? Sed hæc quidem hactenus. Qui virtuti voluptatem adiiciunt, & in his summum bonum putant, hi sane etiam impudentius mihi dicere videntur, quam qui in sola voluptate summum bonum constituunt. Coniungunt enim res natura contrarias, longeque diuersas. Nam si aqua & ignis, elementa inter se contraria atque pugnantia, simul stare iungique non possunt, sic certe nec virtus cum voluptate vllo pacto copulari potest. Aspernatur enim natura, reiicitque contrariam. Nec profecto secus est voluptatem cum virtute coniungere, quam pecudẽ cum homine sociare. Atque ita se habet hæc ratio: qui voluptatem sequitur, is virtute, qui virtutem, is voluptate careat. Sed hoc hactenus. Qui summum bonum in scientia dixit esse, honestus quidem ille, sed tamen omnino non recte. Est sanè hominis proprium sapere, vt supra dictum est: sed in eo errauit, quod putauit scientiam propter seipsam expetendam esse, cum quidem illa altius & extrinsecæ rei causa expetatur.

Ideo enim scientias discimus, quemadmodum inquit Lactantius, vt in eis exerceamur, vt per eas vel ad vitam necessaria, vel ad splendorem honesta adipiscamur, quorum priora non minus pecudum esse quam hominum, manifestum est. Ita enim brutis animalibus, quemadmodum hominibus insita est victus voluptatisque appetitio. Videre etiam licet in bestiis quibusdam, vtputa, in equis, tauris, leonibus, imaginem quandam similitudinemque gloriæ cupiditatis. Ex quo non abs re Poëta maximus de equo loquens, experiendum esse ait:

Et quis cuique dolor victo: quæ gloria palmæ.

Illud etiam necessario sequeretur, si scientia summum bonum esset, vt tam qui malas, quam qui bonas artes didicissent, beati essent: quod existimare nefas puto.

Qui verò summum bonum in virtute ponunt, hi profecto minus à summi verique boni cognitione, quam cæteri aberrauerunt. Sed tamẽ nec ipsi, quodnam illud esset, satis agnouerunt. Hæc quidem virtus suadet nemini nocere, patriam atq; amicos iuuare, cõmuni hominum societati seruire, fidẽ præstare, gloriæ vel opum gratia nihil contra hone-

honestatem condendere, nullo turpi quæstu rem facere, nulla negligentia, nulla pigritia quemquam circumueniri permittere, contra aduersa forti & inuicto animo esse, res humanas contemnere, nulli fortunæ cedere, ardua ac laboriosa suscipere, nullo terrore adduci, nullo discrimine, vt suscepta deserātur, omnia deniq; quæ homini eueniunt, in rebus corporis aut externis, nec bona, nec mala ducere. Huius munus est libidines refrenare, voluptates compescere, iracundiā propulsare, auaritiam coercere, omnes animi labes diluere. Eiusdem est res altas atq; occultas inuestigare; verum inquirere, cœlestia spectare, diuina contemplari, Deum agnoscere. Est hæc profecto res magna, quæ res adeo præclaras gignit & cōtinet. Sed tamen eam summum bonū esse, nequaquā existimandū est. Neq; enim virtus illud est, ꝙ ex ipsa virtute quærimus, sed eius potius genitrix atq; effectrix. Hoc est enim illud iter, quod nobis emetiendum est, ad verum summumq; bonum contendentibus, ad quod sine virtute perueniri nullo modo potest. Idque hoc vno argumēto facile iudicari potest. Namq;, vt ait ipse Lactantius, aut hoc summū bonū, quod quærimus, adeptu facile est, aut difficile. Si facile, summū bonum dici iure non potest. Quid enim tot labores, tot molestias, tot pericula, quod est virtutis opus, subeamus? cur nos tantopere maceremus atq; conficiamus, ad summū & optatissimū annitentes, si illud leuiter adipisci possumus? Sed cum vel cōmune quodque bonum & mediocre bonum non possit absq; difficultate comparari, quoniam natura boni ardua & laboriosa, quemadmodum vitiorum prona est & præceps: verisimile est, hoc, quod summum bonum & omnium excellentissimum dicimus, non posse sine summis laboribus, summaq; animi & corporis contentione vendicari. Id si ita est, vt certe est, honesta actione ac virtute opus est, ad hoc supremum bonū consequendum. Si igitur per virtutem ad id perueniendum est, cuinam dubium relinqui potest, ipsam virtutem in qua exercemur, quæve circa laboriosa ac periculosa versatur, non esse summum bonum? Equidem mihi persuadere non possum, Ciceronem & eos, qui dixerunt summum bonum in virtute esse, & in quo virtus sit ei nihil deesse ad bene beateq; viuendum, quamuis asserant illam propter se expetendam, nihil aliud vltra virtutem spectasse, maxime cum dicat in Tusculanis: Honos alit artes, omnesq; incenduntur ad studia, gloriā: & in Officiis: Vix inuenitur qui laboribus susceptis periculisq; aditis, non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam. Sic Virgilius:

vtcunque ferent ea facta minores,
Vincet amor patriæ, laudumque immensa cupido.

Hæc profectò illa res erat, quam sibi proponebant, quam spectabant, ad quam omnia eorum opera referebant. Id autem contingit ignorantia summi boni. Cum enim carerent veritatis lumine, ac perfectæ sapientiæ fulgore, nec aliquid virtute præstantius reperirent, à virtute non recesserunt, eamque in sese, tanquam radios in Solem reflectere voluerunt, cum ad virtutis intelligentiam peruenerunt, quam quærẽdo fatigati substiterunt, nec ad cœlum, vnde mortaliũ animi profecti quoq; reuersuri sunt, mentem retulerunt; Qui verò corporis & rerum externarum commoda addi volunt, & in his summum bonum ponunt, in eo peccant, quod in his, quæ in potestate nostra non sunt, summi boni finem statuunt. Quis autem nescit altera in potestate naturæ, altera in casu & fortunæ temeritate esse reposita? Nam quis est, cui exploratum sit, se incolumem ad vesperum fore, aut rem familiarem sibi vno duntaxat die integram esse mansuram? Quod si ita est, vt certe negari non potest, quis hisce accessoriis bonis putauerit vitam beatam fieri posse? Summum quippe bonum, vt Lactantio placet, tale esse oportet, vt homini cum nullo animante commune solius animi sit, nec vllam cum corpore aut rebus externis communionem habeat, ac deniq; tale, vt non possit absq; scientia ac virtute comparari. Hoc verò bonum ita definitum illorum omnium sententias excludit, de quibus facta est mentio. Quæcunq; enim dixerunt, aut nobis cum mutis animalibus cõmunia sunt, aut à nostra potestate seiuncta. Quæ sit philosophorum opinio de summo bono, in quo beata vita continetur, satis explicatum videtur. Nunc reliquum est, vt, quid nostri de eo sentiant, explicetur. Lactantius quidem summum bonum hominis positum esse in immortalitate censet, eamq; quasi mercedẽ maximorum laborum ac meritorum nostrorum à Deo mortalibus constitutam esse, compararique duabus rebus: Religione scilicet & sapientia. Ait enim: *Cum omnia quæ data sunt homini, penè videam esse communia brutis animantibus, puta, vox, risus, caritas, ratio: Videmus enim illas propriis & sibi datis à natura vocibus inter se notis quasi simul colloqui, demulsis auribus & rictu in lasciuiam soluto quasi ridere: in fœtibus gignendis educandisq; quasi quandam speciem amoris humani præ se ferre: in tuenda vita, in fugiendis periculis, quædam non obscura rationis signa præbere: Omnes animantes, præter hominem religionis & sapientiæ expertes esse, easq; soli homini conuenire, rationem aliquam bestiis datam esse ad sustentandum vitam, homini vero perfectam ad diuinarum rerum intelligentiam.* cui quidem opinioni assensum esse Ciceronem ait dicentem: *Ex tot generibus nullum esse animal præter hominem, quod habeat aliquam Dei notitiam,*

notitiam, nullã gentem tam immansuetam, neq; tam feram, quæ non, etiam si ignoret qualem haberi Deum deceat, tamen habendum sciat. Spectandum nobis esse in cœlum, nullam aliam ob causam, nisi ob Religionẽ. Nam si Religio tollatur è medio, nullam superesse nobis cum cœlo cognationem: arrigendos ad cœlum oculos, aut religionis gratia, aut rerum diuinarum cognitione. Sed quia res diuinæ hominis ingenio perfecte comprehendi non possunt, religioni seruiendum esse. Oportet autem Religionem cum sapientia cõiungi, nec alteram rem absq; altera perfectam esse, eosq; qui alterutram suscipiunt, altera neglecta, viam magnis erroribus implicitam sequi, quoniam in his duobus inseparabiliter connexis, & officium hominis & veritatis omnis inclusa sit: *Idcirco, inquit, factus est mundus, vt nascamur, ideo nascimur, vt factorem nostri ac mundi,* DEVM, *agnoscamus, ideo agnoscimus, vt colamus, ideo colimus, vt immortalitatem pro laborum mercede capiamus.* Hanc tamen immortalitatem cum vera DEI cognitione & contemplatione coniunctam intelligit: in quo quidam errauere Philosophi, inter quos & M. Cicero, qui & ipsi immortalem esse animum putauerunt, sed verum Deum, omnium conditorem ac parentem, defectu sapientiæ nesciuerunt. Hæc de summo bono Lactantius.

Isidorus verò, sacrarum literarum doctissimus, *summum bonum esse* inquit, DEVM, *quod sit incorruptus, incommutabilis, immortalis & simplex, quæ omnia in solum Deum cadunt.* Nam etsi immortales angeli atque animę sunt, tamen & commutabiles sunt, quoniam in vitia prolapsæ à Deo deseruntur: cuius verba referre commodius reor: *Summum bonum,* inquit, *Deus est, quia incommutabilis est, & corrumpi omnino non potest. Creatura verò bonum, sed non summum, quia mutabilis est, & dum sit quidem bonum, non tamen esse potest summum. Quid enim est Dei immortalitas, nisi eius incommutabilitas? Nam & angeli & animæ immortales sunt, sed incommutabiles non sunt. Ideo solus Deus immortalis, quia solus incommutabilis est. Nam anima moritur, dum deserente Deo, de bono in malum mutatur, sicut & angelus dum deserente Deo lapsus est. Quod materiam habet, vnde existat, mutabile est, quia de forma ad formam transit. Quod verò non habet materiam, immutabile: sicut Deus vtique est. Bene itaq; ac substantialiter sunt ista in Deo, incorruptio, immortalitas, incommutabilitas, inde & merito cunctæ præponitur creaturæ. Opus non consilium apud Deum mutari nec variari eum, quia per varia tempora, diuersa præcipit sed manens ipse incommutabilis & æternus, quod cuiq; tempori congruum esset, ab ipsa æternitate, in eius mansit dispositione consilii, non vsu nostro aliud Deum putamus, aliud eius pulchritudinem.*

ficut aliud eſt homo, aliud eius pulchritudo, quia deſiſtente pulchritudine homo manet, ac per hoc, qui ita intelligit, Deum corporeum eſſe credit, dum pulchritudo Dei ipſe ſit Deus. Ideo Deus dicitur ſimplex, ſiue non amittendo quod habet, ſiue, quia non aliud eſt ipſe, aliud quod in ipſo eſt inordinate dici ſeu conferre vitiis ea, quæ ordinate in Deo ſunt, vtpote ſimplicitas, quæ aliquando dicitur pro ſtultitia, & non eſt apud DEVM. *Apud Deum verò ſumma ſimplicitas, & iuxta hanc regulam cætera ſeruanda ſunt.* Hæc Iſidorus. Auguſtinus magnus perfectusque Theologus ſummum bonum eſſe cenſet æternam vitam, vt ſummum malum, æternam mortem: ac propter illam comparandam nobis rectè viuendum eſſe. *Scriptum eſt enim, inquit: Iuſtus ex fide viuit, quoniam nec bonum noſtrum iam videmus, ex quo opus eſt, vt illud credendo quæramus; Nec verò,* vt ipſe teſtatur, *noſtrum rectè viuere ſatis eſt ad vitam illam adipiſcendam, niſi credentes & ornantes nos adiuuet, qui ipſam fidem dedit, qua nos iuuandos eſſe credamus.* Præclarè ille quidem de ſummo bono; ſi illud exiſtimat æternam vitam. Æterna enim vita, quid eſt, niſi Deus æternæ vitæ largitor? Ipſe enim eſt & vita & ſalus noſtra: vnde illud, Ego ſum via, veritas & vita. Ipſe æternus, qui principio caret & fine. Æterna igitur vita eſt, cum Deo æternum eſſe, & in Deo æternum viuere, atque in eius diuinitate contemplanda omnes cogitationes noſtras iacere, quam vnam rem tantummodo in beatorum mentibus verſari crediderim.

Alibi idem Auguſtinus, ſummum bonum ciuitatis Dei, æternam pacem eſſe inquit his verbis: *Quamobrem, cum ſummum bonum ciuitatis Dei ſit æterna pax, non per quam mortales tranſeunt naſcendo atque moriendo, ſed in qua immortales maneant, nihil aduerſi omnino patiendo.* Quis eſt enim, qui vitam illam vel beatiſſimam eſſe neget, vel in eius comparatione iſtam, quæ hîc agitur, quantis licet animi & corporis & rerum externarum bonis plena ſit, miſerrimam non iudicet? Sed ſiue æternam vitam, ſiue æternam pacem ſummum bonum iudicet, rectè ille quidem. In Deo enim æterna vita & æterna pax eſt: in eo ſumma quies, ſumma tranquillitas & ſtatus omnium rerum cumulatione perfectus. Quid plures Theologos referam? Omnes enim in id conſentiunt, Deum eſſe ſummum bonum, in eo beatorum cogitationes finiri, nihil extra Deum appeti, nihil deſiderari, quod eſt ſummi boni proprium. Quapropter ſi nec in ſola voluptate, nec in dolorum priuatione, nec in indolentia, nec in virtute cum voluptate coniuncta, nec in ſola honeſtate, nec in ſcientia, ſummum eſt, vt mihi multis verbis explicaſſe videor, ſed in Deo & ipſius Dei fruitione ac contempla-

templatione, ac vitæ æternitate, vt Theologis placet, illud iudicio meo recte concluditur, nos in hoc orbe terrarum, quem incolimus, vitam beatam adipisci non posse. Illa enim vita beata recte appellabitur, quæ nullis est fortunæ telis opposita, nullis procellis obnoxia, ad quam, nec metus, nec dolor, nec inuidia, nec maleuolentia, nec obtrectatio, nec iniuria, nec vis, nec ægritudo, nec perturbatio vlla, quæ animum à perenni tranquillitate dimoueat, penetrare potest. Nam dum in malis sumus, dum angimur, dum cruciamur, non nisi prius finitis malis beati esse possumus. Licet enim ratione duce humanorum casuum contemtrice fortiter aduersa toleremus, tamen fieri non posse arbitror, hominem quicunque sit, his quæ sibi præter naturam & voluntatem accidant, nisi omnino sit ferreus, non moueri. Quid enim putas Diogenem illum vel Cleanthem, quorum vita fuisse fertur emendatissima, nunquam æmulatione, nunquam rei vllius inopia laborasse? nunquam quippiam desiderasse, nunquam re vlla perturbatos fuisse? Equidem mihi intelligere videor, nos ita natura comparatos esse, eaque conditione compositos, vt non tristari, non timere, non cupere, non dolore nequeamus: quæ sunt animi perturbationes ex corporis cogitatione procedentes. Sic enim hasce animi passiones Cicero appellat, quoniam animum mentemque perturbent. Hoc ipsum clarè testatur Poetarum Latinorum decus his versibus:

Igneus est illis vigor & cœlestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant
Terrenique hebetant artus, moribundaq; membra.
Hinc metuunt, cupiuntq; dolent, gaudentq;, nec auras
Suspiciunt clausa tenebris & carcere cæco.

Quis enim hos sensus abstulerit, quam diu hoc terreno carcere inclusi sunt? cuius quidem tanta vis est, vt ipsum animum diuinarum rerum, vt quidam volunt, humanarumque peritum, vires suas exercere non sinat. Nam si quod in corpus ineptum & malè temperatum inciderit, vel stoliditatis aliquando, vel dementiæ signum edit; Quid, quod hæc, quam modo viuimus, vita, non re ipsa vita est, sed mors, in quo & veteres aliqui maxime Stoici, Peripatetici, Academici, cum Theologis nostris sentiunt. Deficimus enim sensim & sine sensu & continue morimur, donec hoc graui corporis onere deposito ad eam vitam peruenitur, quæ verè vita est, quæ immortalis, quæ omni solicitudine ac desiderio vacua, quæ nihil nisi incorruptibile, purum & simplex, potest transcendere, vbi summa animi requies,

vbi expletus vel potius contentus animus æuum agit cum superis sempiternum, vt non modo non miter Virgilianum illud, sed etiam valde probem:

O pater, anne aliquas ad cœlum hinc ire putandum est
Sublimes animas? iterumque ad tarda reuerti
Corpora, quæ lucis miseris tam dira cupido est?

Quonam enim modo beata esse vita potest, quæ ipsi morti subiecta nos aliquando desertura sit? Nam si vita beata, vt Cicero ait, amitti potest, nec enim appellatur beata vita, nisi absoluta atq; perfecta, nec potest quispiam alias beatus esse, alias miser; qui enim existimabit se aliquando miserum esse, beatus esse non poterit, quoniam eo timore torquebitur. Nam, cum semel suscepta est beata vita, tam permanet, quam illa ipsa beatæ vitæ effectrix sapientia. Hæc enim vita præsens & corporalis, vt inquit Lactantius, beata esse non potest, quia malis est subiecta per corpus. Epicurus Deum beatum vocat, quia sit sempiternus & incorruptus. Beatitudo enim perfecta est, vt nihil sit, quod eam vexare, minuere aut immutare possit. Nec aliter quicquam beatum existimari potest, nisi fuerit incorruptum. Incorruptum autem nihil est, nisi quod immortale est. Sola ergo immortalitas beata est, quoniam corrumpi aut dissolui non potest. Nullus beatus, inquit Augustinus, nisi, qui viuit, vt vult, & nullus beatus, nisi iustus, sed & ipse iustus non viuit vt vult, nisi eo peruenerit, vbi mori, falli, offendi non possit, eique certum sit ita semper futurum. Hoc enim natura expetit, quæ nec plenè, nec perfecte beata erit, nisi sit adepta, quod expetit. Nunc verò quis hominum potest, vt vult, viuere, quoniam ipsum viuere non est in nostra potestate. Viuere enim vult, mori cogitur, & si Deo mori velit, non quod nolit viuere, sed vt melius viuat post mortem. Nondum ergo, vt vult, viuit, sed cum ad id, quod vult, moriendo peruenerit. Idem alibi, Absit autem, vt quamdiu in hoc bello intestino sumus, nos iam beatitudinem, ad quam vincendo volumus peruenire, adeptos esse credamus. Hæc Augustinus. Possumus quidem ad illam beatam vitam iter moliri ac struere, quibus autem gradibus ad eam peruadatur, etsi iam dictum est, dicendum tamen est iterum, Religione, Sapientia, Spe, Fide, Caritate atq; Virtute. Hoc vno tamen beati esse in hac vita possumus, teste Lactantio, si nobis beati esse minimè videamur: si fugientes illecebras voluptatum solique virtuti seruientes in omnibus miseriis laboribusque viuamus, quæ sunt exercitia & corroboramenta virtutis: si denique illam asperam viam difficilemque teneamus, quæ nobis ad beatitudinem patefacta est. Habetis,

Gua-

Guarine, tuque ô Lamola, quid de summo bono & beata vita sentiam, de qua à Theologis nostris alia multa dici posse non negauerim. Quã-obrem finem sermoni meo faciam. GVARINVS: Equidem Antoni tecum sentio, & valde me iuuit ista tua de Philosophorum ac Theologorum sententiis enarratio. Credo item Lamolam. Sed si in hac vita felicitatem non esse recte conclusum est, vbi nam illam esse dixerimus, quem locum illi dabimus, quodnam ei domicilium statuemus? ANTONIVS: Atqui istud erit tuum munus, tuæque partis Guarine, sic enim pacti sumus, docere vbi ea sit, & qualis sit, quæ tibi sicut scio, erunt explicatu facilia, quoniam religionis nostræ doctoribus te maxime delectari non ignoro. GVARINVS: Etsi æquum erat, Antoni, te hanc partem persequi, atq; absoluere, qui opiniones de summo bono, tam nostrorum, quam veterum, attigisti, tamen vt tuæ voluntati mos geratur, hoc muneris suscipiam non inuitus, atque, vt potero, exequar. ANTONIVS: Perbenigne ac more tuo facis, Guarine, qui te semper mihi & amicis omnibus tractabilem præbere consueuisti. Quamobrem perge obsecro, quod idem te rogat Lamola non minus. LAMOLA: Ego verò non solum rogo, sed etiam oro atque obsecro. Hæc enim illa pars est, quam ego potissimum audire expecto, vt intelligam, quo loci, hoc laborioso itinere confecto, mihi perueniendum sit, & cuiusmodi vita mea post mortem futura sit: de quibus licet audierim sæpe & legerim: tamen ex te illa cognita me vehementer delectabunt, atq; etiam nonnihil confirmabunt. GVARINVS: Aggrediar rem quanquam perdifficilem, & Theologo magis quam oratori congruentem, præsertim qui video vtrique vestrum id gratum fore.

Ex his, Antoni, quæ à te grauiter & copiose dicta sunt, satis constare arbitror, nõ esse hoc in orbe terrarum supremum bonum. Consequi igitur ex hoc videtur, nos, dum in hac vita sumus, beatos esse non posse: id quod Lactantius his verbis affirmat: Non cadit ergo, inquit, beatitudo in hominem illo modo, quo Philosophi putauerunt, sed ita cadit, vt non tunc beatus sit cum viuit in corpore, quod vtique, vt dissoluatur, corrumpi necesse est: sed tunc, cum anima societate & compage corporis liberata in solo spiritu viuit. In eo verò omnium Theologorum nostrorum, vt tu clarè ostendisti, summa consensio: Deum esse summum bonum, & ipsius Dei fruitionem atque intelligentiam. Apud Deum enim status est omni desiderio vacuus, omnique ex parte perfectus: quæ est felicitatis definitio. Quod quoniam adeo verum est, vt nihil verius, vitam beatam esse, vbi summum bonum sit, nemini debet esse ambiguum. Si igitur apud Deum vita beata agitur, dubi-

tandum non est, domicilium eius vitæ cœlum esse, quod est propria Dei sedes, quamuis ipse Deus omnia loca comprehendens, nullo comprehendatur loco: imò verò loca omnia luce sua virtuteq; & potestate lustret & compleat. Nam vt Psalmista inquit, *Cœlum cœli domino, terram autem dedit filiis hominũ.* Et iterum: *Quis sicut dominus Deus noster, qui in altis habitat & humilia respicit in cœlo & in terra?* cuinã dubium esse potest, animum, qui diuinus & cœlestis est, in cœlum reuerti, locum naturæ suæ maxime consentaneum cum sciamus, quæ corporis sunt, in elementa sua redire omnia. Nam vt Physicis placet, quæ terrena sunt, in terram, quæ humida, in aquam, quæ aerea, in aërem, quæ ignea, in ignem, dissoluto corpore reuertuntur. Nec illud paruo argumento est originis nostræ cœlestis, nostrique in cœlum reditus, quod nobis à Deo data est forma corporis, ab aliis animantibus longe differens, vt ante dictum est, sublimis scilicet & ad cœlum erecta, vt originem suam contempletur & spectet, atq. intelligat, sibi eodem reuertendum esse, vnde discessit. Illa enim ciuitas Dei est, quam mira pulchritudine atque artificio molitus est summus rerum opifex, vbi plura insunt bona, quam omnium mortalium linguæ effari possunt, ad quam quidem ciuitatem, quibus gradibus remeamus, satis à te, Antoni, dictum puto. Habetis his paucis, tuque ô Lamola, vbi nam putem vitam beatam esse, de quo & alia plura dici non negauerim: Sed quoniam id à nemine religionis nostræ ambigi reor, hac parte præterita, præterea ad eam quæ reliqua est, iam me conferam. Ea vero est, vt ostendam, si modo possim, cuiusmodi vita illa beata sit; Nec me latet id præstare quam sit difficile, quod non modo videri non potest, sed nec ratione, nec intelligentia comprehendi. Maius enim & longe altius hoc est, quam quo humani ingenii vis aspirare valeat. Sed tamen, quantum ex Theologorum nostrorum scriptis percipere legendo potui, de tanta re dicam, quid sentiam. Beata vita, vt mihi quidem videtur, tota est posita in Dei fruitione. Frui autem DEO nihil aliud esse existimo, nisi Deum contemplari atque cognoscere: licet vim eius ac magnitudinem nullus vel beatorum spirituum plene perfecteq; possit, vt iam dictum est, ratione complecti, quoniam immensus & infinitus est. Tunc enim soluti hac corporis mole, puroq; ac simplici corpore assumto, Deum licebit intueri atque agnoscere. Nam, vt ait Apostolorum princeps, nunc quasi per speculum, in ænigmate, Deum videmus, tunc autem à facie ad faciem & alibi: Videbit omnis caro salutare suum: absq; difficultatis modo videbimus & angelos, omnesq; beatorum spirituum ordines, quasi conciues

ciues

ciues & contubernales noſtros. Videbimus & omnia, quæ in cœlo & ſub cœlo ſunt. Quid enim erit, quod eius aſpectum fallat, qui videt videntem omnia? Nihil eorum profecto nos fugiet, quæ vbiq; fuerint, quæ nunc nobis videntur obſcura, de Trinitate & cæteris arcanis, quęque à Theologis tradita ſunt, fient nobis ipſa luce clariora. Animus enim hac terrena compage liberatus, & abiecta carnis ſarcina ad naturam priſtinam & ſuam reuerſus rerum omnium ſcientiam, vel recuperabit, vt Platoni, vel conſequetur, vt Ariſtoteli & noſtris placet. Nam cum ſit diuinæ naturæ particeps, cui omnia cognita & perfecta ſunt, credibile eſt & humanos animos omnia cognituros, poſtquam in eum locum redierint, vnde digreſſi ſunt. Nec amplius Saturno, Ioui, Marti, Veneri, Mercurio, Lunæ, quos nunc planetas perhorreſcimus, quorumve ortus & occaſus tanta cura & formidine obſeruamus, ſubiecti erunt: quinimo vt illis nunc ſuppoſiti ſumus, ſic illi nobis tunc ſuppoſiti & pedibus noſtris ſubiecti erunt, nec officere nobis poterunt illorum curſus recurſusque, nec amplius extimeſcent, reges diros, horribileſq; terris cometas, quos nunc tãtopere pertimeſcunt. Erunt nobis notæ & exploratæ omnes ſtellæ, quibus nihil profecto quoad ſplendorem illuſtrius, quo ad ornatum & varietatem pulchrius ſingi poteſt. Erit in ea vita æterna pax, & ea quidem vera, nullis inſidiis obnoxia. Nullam enim poteſtatem in eos, qui in cœlo fuerint, retinebit hoſtis ille communis animarum, quinimo vna cum damnatis apud inferos perpetuo cruciabitur, nec inde euadendi ſibi amplius vlla poteſtas dabitur. Erit ibi ſumma animorum tranquillitas & requies, omni cura, moleſtia, cupiditate & angore vacua, teſte Eſaia dicente. Sedebit populus in pulchritudine pacis & in tabernaculis fiduciæ, & requie opulenta. Erunt corpora noſtra luce clariora atque ipſo aëre ſubtiliora, vt quocunque velint, non ſecus penetrare valeant, quam incorporei ſpiritus. *Fulgebunt*, inquit Matthæus, *iuſti ſicut Sol in regno patris mei*. Quid Auguſtinus? *Vbi volet, inquit, ſpiritus, ibi erit protinus & corpus:* quod de rotis Ezechiel inquit. Erit ibi perpetua iuuenta & ſemper florens, quam nullum ſenium, nulla temporum magnitudo corrumpet, nulla diuturnitas extinguet. Illa enim in viriditate & pulchritudine perpetuo cum Deo manebimus: Pſalmiſta teſtante: *Renouabitur*, inquit, *beatitudo, vt aquilæ iuuentus*. Nec verò illud paruum eſt munus, quod nulli morborum generi amplius ſubiecti erimus. Corpora enim noſtra omni terrena cõcretione purgata nihil offenſionis recipere omnino poterunt. Neq; enim elementa, ex quib. cõſtant humana corpora, poſt reſurrectionẽ

noſtram vim vllam in nos habitura ſunt: omnem ſiquidem poteſtatem ſuam prorſus amiſerint. Erunt enim, vt dixi, adeo defæcata & pura ipſa corpora omni admixione & corruptibili labe depoſita, vt nullam omnino violentiam extrinſecus ſentire valeant: cuius rei teſtis eſt Eſaias ita inquiens: *Occupabit ſalus muros meos, hoc eſt, cœlum & beatorum ſedes.* Murus namque Dei paradiſus eſt, vbi cum eo quieturi ſumus. Erunt ibi omnia cumulatiſſimè, quæ à nobis deſiderari poſſint, vt nihil exterius nobis quærẽdum ſit. Deus enim Optimus Maximus, in quo omnia bona ſunt, deſideria noſtra complebit: nec vllum cupiditatibus noſtris prorſus relinquet locum. Satiati enim & expleti ...nnũ animi præſentibus & ſibi à Deo conceſſis contenti erunt. Hoc eſt, quod ait Pſalmiſta, Satiabor cum apparuerit gloria tua. Sic Paulus Deum loquentem faciens: Ego ero quæcunq; ab hominibus honeſte deſiderantur, & vita & ſalus, & virtus & gloria, & copia & honor, & pax & omnia bona. Sic enim & illud rectè intelligitur, quod ait Apoſtolus, vt ſit Deus omnia in omnib. Ipſe enim finis erit deſideriorũ noſtrorũ, q ſine fine videbitur, ſine fine amabitur, ſine defatigatione laudabitur. Rectè ille quidẽ & verè. Iugiter enim ac ſine intermiſſione vacabitur Dei laudibus, & erunt ſcilicet in eo vno occupata ſtudia noſtra, vt pro ineffabilibus atq; immortalibus meritis nobis à Deo impertitis, illius maieſtati continue gratias agamus. Sed quæ laudes, quæ gratiarum actiones, tantis in nos Dei beneficiis & muneribus reſpondere poſſint? Erit etiã in ipſo paradiſo vera & perfecta gloria, quæ nec æmulatione, nec ſimulatione officii, nec vllo genere corruptelæ parabitur. Neque enim ambiendum erit, quo maiorẽ vel gradum apud Deum adipiſcamur. Iuſtitia enim diuina, quæ ſumma atque perfecta eſt, non ſinet beatorum quemquam merito honore & digno gradu carere, nec erit vnus ex omnibus, qui non eo gradu & ordine contentus ſit, quem ſibi diuina ſapientia conſtituerit. Nec vero repetietur, qui alteri inuideat, quamuis alius in ſublimiori ac digniori loco locatus ſit. Nam vt nec Archangelis angeli: ſic nec ſanctorum vllus inferior ſuperiori inuidebit: cuius quidẽ rei Auguſtinus nobis teſtis eſt locuples ita inquiens: Atque etiam beata illa ciuitas magnum bonum in ſe videbit, quod nulli ſuperiori vllus inferior inuidebit, ſicut nunc non inuident Archangelis angeli, tanquam nollet eſſe vnuſquiſque, quod non accepit, quoniam nec in corpore eſſe vult oculus, quod digitus eſt, cum membrum vtrumque contineat totius carnis pacata compago. Sic itaque habebit, inquit, donum alius alio minus, vt hoc quoque donum habeat, nec velit amplius. Sed ego illud ſolum certamẽ in beatorum

rum

rum mentibus mansurum crediderim, vt scilicet Deum intelligant, eiusque immensam potestatem & sapientiam spectent atque perpendant. Quid loquar summam caritatem, consensum, æquanimitatem, constantiam, omnia denique bona quæ in cœlo sunt? Erit, inquit Augustinus, illius ciuitatis Dei & vna in omnibus & singulis inseparabilis volũtas ac libera, ab omni malo liberata & impleta omni bono, fruens indeficienter æternorum iucunditate gaudiorum. De gloria hoc dicit Apostolus: Cum Christus apparuerit vita nostra, & vos cum eo apparebitis in gloria. Nec tacebo illius vitæ perenne gaudium quod nulla vnquam tristitia confundet, nulla ægritudo corrumpet, nulla vetustas obruet. Sẽper enim & assidue meditantes res diuinas, in quibus inest summa lætitia summaq; iucunditas, beatorum animi læti erunt. Nec iam poterit quicquam eis accidere, quod gaudium illud mentemque perturbet. Nihil enim ibi fortuna poterit, quæ nunc falso rebus humanis dominari putatur, quoniam nec offendi, nec decipi, nec violari poterunt exsuscitata in meliorem lucẽ corpora, nec vllum omnino iniuriæ genus perpeti. Nec vero peccandi potestas erit beatis, non quo liberum iis tollatur arbitrium, sed diuina gratia & Spiritu sancto cooperante, qui nihil nisi sanctum, nisi rectum, nisi Deo acceptum in illorum mentes & cogitationes patietur irrepere, quod quidem ab Augustino his verbis expressum est: Nec ideo, inquit, liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi, vsque ad delectationem non peccandi indeclinabilem libertatem. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quam primum creatus est rectus potuit non peccare, sed potuit & peccare. Hoc nouissimum eo potentius erit, quo peccare non poterit: verum hoc quoque Dei munere, non suæ possibilitate naturæ. Quid illud diuinum donum, omnium longe maximũ & præstantissimum dixerim, immortalitatem scilicet, qua beati donabuntur? quid hoc vno expetibilius optare à Deo possumus? quoue ipsi Deo similiores & propiores fiamus? Est tamen Dei propria immortalitas, quam tamen & angelorum & beatorum spirituum ordinibus magnitudine pietatis in nos suæ impertiri dignatus est, vt cum illo in perpetuum viuamus, eius Maiestatem, tota mente, totoque animo contemplantes venerantesque. Siquidem quicquid mortale est è corporibus nostris subtrahens, illa amplius morti mancipata esse non sinet: qua securitate quæ potest esse maior? Nam si mors omnium rerum, quæ aut corpori possint, aut animo accidere, formidolosissima & acerbissima est, vt fert communis opinio, nihil

profecto præstantius à Deo mortalibus donari potest, quam immortalitas. Quod si beati putantur in hac vita, qui ad centum annos vixerunt, quanto beatiores iudicandi sunt, qui semper viuent: præsertim cum hæc vita, quam viuimus in terris, non modo Theologorum nostrorum, verum etiam philosophorum veterum sententia, mors sit. Illa autem cœlestis vere vita, quam nulla sit vetustas, vt dixi, nulla temporum longinquitas consumtura. O felicem, ô faustum diem! cum in eam sedem tanto ornatu præditam, tanta siderum varietate distinctam peruenerimus, vbi æuo fruemur sempiterno. Hæc est ea vita, cuius adipiscendæ gratia Stephanus Proto-Martyr lapidibus cædi sustinuit: Hæc est, propter quam Ioannes Baptista capitale supplicium pati non dubitauit: Hæc est ea, cuius causa Petrus & Paulus Apostolorum principes, alter ceruicem securi permittere, alter in crucem tolli, non recusarunt: Hæc est ea, ob quam Bartholomæus se viuentem cute nudari passus: Hæc est ea propter quam Sebastianus sagittis ad necem configi non renuit: Hæc est ea, propter quam Laurentius flammis subiici & in modum agni torreri non timuit: Hæc denique est ea vita, propter quam multi & prope innumerabiles clarissimi & eruditissimi viri huic seculo abrenunciauerunt, sibique ipsis omnibus humanis rebus interdixerunt. Hæc sunt enim Antoni & Lamola, quæ de beata vita sentire mihi videor, videlicet vbi sit, & cuiusmodi sit, quantum ex doctorum nostrorum lectione percepi, ad quam vtinam veniamus aliquando, vt cum illo beatorum cœtu perpetuo congaudere valeamus. Quare, nisi quid aliud vultis, huic quæstioni modum statuam. ANTONIVS: Tu certe cum argumentis, tum autoritatibus grauissimorum Theologorum adeo mihi in hac quæstione satisfecisti, puto item Lamolæ, vt Theologum alium, præter te, desideremus neminem: Atque vt, ea de re, de me loquar, nulla mihi dubitatio vel obscuritas relicta sit, vt te non minus præstantem Theologum quã oratorem putem. Et plane cum mente & cogitatione complector, quæcunq; in hanc sententiam modo dixisti, nescio quidnam addi possit, quo notior esse queat humano generi vitæ felicitas: Præterea, vt vides, iam aduesperascit, nosq; hortatur diei tempus, vt animum à labore releuemus, nisi quid aliud Lamola noster velit. LAMOLA: Non est profecto, quod amplius de re ista disputari desiderem, ita est mihi omnis penitus sublata disputatio, si qua animo prius insederat. Et sanè, mi præceptor, nihil est, quod pridem in te miratus sim magis, quam quæ nunc ex te audiui, de Theologia dicente. Ego enim planè ignarus eram tam bonum Theologum te esse, quem sciebam semper Rheto-
ricam

ricam artem professum, ex qua quidem magnam gloriam es adeptus, ætatemque in ea omnem contriuisse.

GVARINVS. Facitis amice vterque, & pro vestra consuetudine qua semper, & in omni sermone, atque in hac quæstione perpetua tantum mihi tribuistis, quantum mihi iure tribui posse, nec agnosco, nec postulo. Quod me Theologum præstantem asseris, nolim mihi tantum oneris imponas. Scio enim quam procul absim ab ea facultate. Sed si me Theologorum studiosum appellaueris, non mentiere, & id à te dici facile patiar. Quod vero vtriq; vestrû à me, satis factum fuerat, vehementer gaudeo. id enim est mihi omnium optatissimum, quę mihi possent in vita contingere, si ingenio & industria mea, quæ vobis grata & iucunda sint, quæve comprobetis ipsi, præstare possint.

Tum facto dicendi fine, reliquum diei tempus deambulationi datum est.

BARTHOLOMÆVS FACCIVS ROberto Strozæ salutem plur. dic.

ANimaduerti, vir ornatissime, ex literis tuis perbreuibus id quod per hosce dies ex te audiui: videri tibi Lamolam, cui partes dialogi mei tribuo, nimis facile concedentem Guarino omnia: quod & quidam alius, quem honoris causa non nomino, dixisse fertur. Ait enim Lamolam victas vbique præbere manus, quasi nescientem obiecta confutare. Ab ista ratione, vt me tibi dixisse memini, pace tua loquar, longè, Roberte, dissentio. Nam si vna res tantum mihi tractanda esset, fortasse hoc, quod dicis, probaretur magis. Sed cum mihi propositum sit, omnes artes ingenuas, atque omnia scientiarum genera percurrere, nunquam esset inuentus disputationis meæ exitus, si Lamolam Guarino, & Guarinum Lamolæ sæpius contradicentes ac pugnantes inducerem: idque cum primum efficere tentassem, prolixitatis, præsertim non necessariæ, fastidio permotus, à proposito meo destiti. Satis enim duxi, cum ostendissem, exempli causa, quæ bona esse viderentur in diuitiis, & è contrario quæ mala, ad alias species deuenire, & in ea re vna non progredi longius. Quid enim relinquitur, postquam enumerata sunt bona malaque, ex quibus felicitas & infelicitas maxime iudicatur, quo longior desideretur disputatio. Sane quicquid præterea diceretur in eam sententiam, id exquisitæ cuiusdam magis, quam necessariæ diligentiæ

esse censeretur. Est mihi præterea autor, quo nescio an vllus grauior, Xenophon ille Socraticus, qui in eo dialogo, qui est de vita tyrannica inscriptus, cõmemoratis bonis & malis, quę in vita tyrannica incidunt, quæstioni suæ finem facit: quem ego, in hac disputatione, quod attinet describendi genus, imitari volui. Sic etiam Cicero de senectute disputans, & de amicitia, docuit, quid boni sit in senectute, quid in amicitia. Nec Scipionem Catoni, nec Fannium Lælio contradicentem facit: quanquam est illa vna & perpetua quæstio: sed tacitis quibusdam obiectiunculis confutatis, disputationi suæ modum imponit. Secus autem in quæstionibus Tusculanis facit. Cum enim probare vult, mortem non esse malum, aut animi ægritudinem in sapientem cadere non posse, quæ vna & perpetua quæstio est, quoniam his de rebus varia est opinio, propterea D. Brutum interdum repugnantem inducit. Est altera ratio, qua id fecerim. Scis personæ dignitatem in Dialogis seruandam esse. Cum vero scirem, qua comitate & facilitate sit Lamola in respondendo & minime pertinaciter aduersando veritati, seruire personæ volui, vt eo digna videatur oratio. Huc accedit, quod cum ei sermo & disputatio sit cum præceptore suo, doctissimo & grauissimo viro, cuius autoritas summa est & habetur, indignum censui, & contra decorum, inducere illum Guarini pertinaciter iudico refragantem. His rationibus adductus sum, vir doctissime, ne Lamolam Guarini defensiones refellentem, sed potius eas facile, vt tu dicis, concedentem faciam. Quæ ideo tibi significare volui, ne à me hoc temere factum putes, & vt omnibns nota sit propositi atque instituti mei ratio, qui ea, qua tu, opinione tenerentur. Sed hæc hactenus. Cum verò Ferrariam repetere constitueris, præstabo, vt exemplar aliquod ipsius Dialogi tecum ferre possis, quandoquidem ita petis: vt illud & principi tuo perillustri ac literatissimo, & Guarino præceptori nostro ostendas: quorum alterius gratiam per te inire, alterius augere, si modo possim, vehementer cupio.

VALE.

BARTHO-

BARTHOLOMÆI FACCII DE EXCELLENTIA, AC PRÆSTANTIA

hominis ad Pium Papam secundum Liber incipit.

DE hominis excellentia scribere nuper aggressus sum, Beatissime Pater, de qua quidem re acceperam Innocentium Fiscum, qui olim fuit & ipse Pontifex Maximus, virum plane eruditissimum, in eo libro, in quo humanas miserias complexus est, pollicitũ esse sese scripturum; sed, quod fortasse accidere potuit, Pontificatus negotiis impeditum, quod promiserat, non præstitisse. Nam cum vehementer cuperem aliquid in nomine tuo edere, quod meam in te pietatem, atque obseruantiam singularem, apud Sanctitatem Tuam, atq; adeo omnes testificaretur, hanc profecto rem, authoritate tua maximè dignam existimaui. Quid enim aut grauius aut excellentius scribi potest, quam de humana dignitate atque præstantia, qua quidem angelis etiam propemodum æqualis est homo? Quid porro excellentiæ conuenientius, qui Dei benignitate ac præstanti virtute tua supremam in terris dignitatem adeptus es? Nam cum multa & varia animaduerterem literarũ monumentis tradita, nulla fermè alia scribendi materia mihi veniebat in mentem, quæ quidem Pontificia Maiestate digna videretur. Quid enim in cunctis bonarum artium studiis relictum est, quod non sit ab aliquo perscriptum atq; tractatum? Quin etiam ex eo fieri cernimus, vt nonnulli gloriæ cupidi, & hi quidem eloquentes atque præstantes viri, ad traducenda Græcorum opera sese conferant, quo rerum nouitate Lectores alliciant atque oblectent: quorum ego consilium non modo non reprehendo, verum etiam valde laudo. Sic enim & desidiç crimen effugiunt, alantq; ingenia, & multarum rerum, quas nescimus, nobis cognitionem afferunt. Sed dè his aliàs.

Tu verò velim, Sanctissime Pater atq; optime, hoc opusculum sic accipias, vt studiorum meorum, qualiacunque sint, degustationem quandam. Quod si aspernabere, alia à me, vt spero, si mihi scribendi ocium fuerit, posthac accipies, maximè si quid erit eiusmodi, quod & à te experi intelligam, & à me effici posse confidam. Sed hæc hactenus. Rem ipsam explicemus:

Ante omnia par esse arbitror, cum de hominis præstantia tractaturus sim, cur Deus hominem fecerit, paucis exponere Neque ad exiguam hominis dignitatem ac decus id videtur pertinere: de qua quidem re varias opiniones esse comperio.

Censent Platonici, quorum autoritas inter gentiles Philosophos magna habetur, Deum idcirco homines fecisse, vt hunc terrarum orbem, quem ab aquis secreuit, incolant, & cœlestia contemplentur, eius constantiam atque ordinem admirantes vita factisque imitentur. Sed ea ratio haud satis habet firmitatis. Neque enim Mundus hominis, sed homo potius mundi causa à Deo factus esse videtur, si incolendi mundi gratia à Deo creatus esset.

Probabilius Stoici, qui homines ad hominum vsum natos esse dixerunt. Sed neque hi satis verè. Accessere tamen veritati, quam illi, propius. Namq; id nemo abnuerit, quin ea lege à Deo creatus homo fuerit, vt communi vtilitati deseruiat: vt alius alium pro facultate adiuuet, atque tueatur. Sed non ea quoque satis vehemens fingendi hominis causa extitisset.

Platonicos secutus, vt mihi quidem videtur, hac in parte Lactantius, vt Mundum hominis causa, sic hominē sui ipsius gratia Deum fecisse existimat, vt, quę opera molitus est, spectaret, atq; eloqueretur, ac opificis sapientiam admiraretur. Horum omnium summam hanc esse inquit, vt homo Deū colat atq; veneretur, vt diuinæ Maiestatis excellentiam ex operibus eius animaduertat. Magno vero argumento esse, quod hominē sua causa fecerit Deus. quod cum statura corporis sublimi, quasi manu erectum ad sui cognitionē & contemplationē finxerit.

Augustinus verò censet, Deum ob immensam eius bonitatem, hoc est, non inprimis Dei, sed hominis causa hominem effecisse: quia bonus est, inquit, Deus summus. Neq; enim Deus hominis officio aut ministerio indigebit vllo. Ipse enim perfectè & cumulatè beatus est. Fecisse autem hominem asseuerat mente & ratione prędit um, vt summum illud bonum, quod & ipse est, & in ipso est, agnosceret, amaret, possideret, vt eodemque frueretur. Hæc vero est summa hominis vtilitas, Deo sesē dedere ac deuouere, cui seruire, regnare est. Opera enim nostra, non Deo, sed nobismet ipsis fructuosa sunt. Nihil enim ad diuinitatem eius potest accedere, quo fiat Deus ipse perfectior. Itaque humanorum factorum fructus in ipsum hominem, qui hæc efficit, non in Deum, in cuius honorem & cultum hæc facimus, totus refertur. Ita enim nos sibi obnoxios esse voluit Deus, vt nobis, non ipsi Deo vtilitati sint. Mundum verò ita nobis obnoxium, vt hinc ad viuendum necessaria percipiamus: simul vt ostenderet hæc omnia, quæ cernimus, tam pulchra, tam varia, tam admirabilia sese hominis gratia condidisse. Omnia enim, teste Paulo, nostra sunt, Summa, Æqualia, Infima. Summa quidem, vt ea inspectantes his perfruamur,

in

in quo genere sunt Deus & Trinitas. Æqualia, vt conuiuamus, quo in genere Angeli, quibus etsi in hac vita inferiores sumus, tamen cum in cœlum emigramus, iis pares & æquales erimus, cum terrenis curis soluti & vacui totos nos contemplationi & cognitioni diuinitatis dederimus. Ima autem nostra, vt iis ad res vitæ necessarias & commodas vtamur. Legimus tamen & in sacris literis hominem idcirco à Deo creatum esse, vt per humanum genus angelicæ sedes, quæ exactis cœlo angelis, qui cum Lucifero conspirarunt, vacuæ factæ erant, aliquando replerentur. Sed mihi magis probatur Augustini sententia. Annon potuit Deus alios angelos illico creare in eiectorũ supplementum? Quin etiã id fuerat factu facilius. Neq; oportebat Solẽ, Lunamq; & cętera sidera hominis causa facere, elementa creare, atq; distinguere terram tanta frugum varietate, tãta animaliũ multitudine opplere, ac demum animas ipsas corporibus vestire. Tolle laborem, quandoquidem in rebus creandis nil laborat Deus. Ipse enim dixit, & facta sunt: ipse mandat & creata sunt. Quid fuerat opus hæc tanta, tã immensa, tã diuersa negocia Deum suscipere, si alia via celerius, sine vllo temporis spacio ac momento vacuas cœli sedes complere poterat? Credamus igitur Deum potius propter infinitam atq; ineffabilem eius bonitatẽ, vt ante dictum est, quam explendarũ cœli sedium gratia hominẽ fecisse: atq; ita non necessitati, quæ nulla prorsus in Deum cadit, sed eius beneficæ volũtati hominis creatio rectius assignari videbitur. Sed quod ad hanc partẽ attinet, satis sit dictum. Si vero hominis dignitatem spectare, atq; altius intueri volumus, considerare oportet, vt puto, quæ à homini diuinitus data sint, quorum quidem cætera animalia sunt expertia. In his enim vniuersa eius, vt existimo, præstantia sita est. Preclara certe res & cognitione digna, ne quid omnino homines eorũ dignitate cognita sese indignũ aut agant, aut cogitent. Sunt enim prope innumerabilia, quę eximiã quandam & singularẽ vim diuinæ in homine caritatis ostendant. Ex quib. vnum illud absq; controuersia nimirum præstat hominibus, quod Deus illum ad imaginẽ ac similitudinẽ suam fecerit. Quid enim illi maius, quid excellentius, quid diuinius dare potuit DEVS? id verò est, factũ esse ad imaginẽ ac similitudinẽ DEI: datã esse homini animam, mente, ratione & immortalitate præditam, per quam quidem mentem cognoscimus, iudicamus, sapimus, meminimus. Hęc enim & Dei sunt, nec nisi eo concedente in animos hominũ illabi vllo modo possunt. Non enim elemẽtorũ quodlibet siue ignis, siue aer, quæ sunt naturâ leuiora atque puriora: (Nam de terra & aqua minus est verisimile) habere hanc vim possunt, quod carent vita ac

ſenſu, diſſoluique & corrumpi poſſunt, vt per illud homines occulta cognouerint, vrbes ædificauerint, tecta & veſtimenta adinuenerint, leges condiderint, cœlorum conuerſiones ac ſiderum motus curſusque deprehenderint, medicinam, tot præterea artes, tot ſcientias, excogitauerint, vt inprimis philoſophiam, illam bene viuendi magiſtrã, ac ducem, quæ nos primum ad Dei cultum, deinde ad omnia virtutis opera cohortatur atque inſtituit. Nec verò memoria ex his elementis nata eſſe poteſt, qua tam multa, tam difficilia, tam varia percipimus. Nam vt omittam Carneadem, Metrodorum, & alios quoſdam, quorum admirabilis memoria prædicatur, quam multa Iuriſconſulti, quã multa Philoſophi, quam multa Dialectici, & qui eiuſmodi ſtudia ſequuntur, meminerunt? Quibus de rebus mihi perſuadeo, tantam ac tam multiplicem vim non diuinam eſſe non poſſe. Verumenimuerò nulla ratio probabilior afferri poteſt, animam noſtram ad ſimilitudinẽ Trinitatis factam eſſe, quam quod immortalitatẽ ſit conſecuta: quandoquidem per hanc vnam propior, quam per cætera ipſi Deo parenti ac principio ſuo efficitur. Nam ſapientia quidem, & mente & cognitione & cæteris Deo longe ac longè inferior humanus eſt animus, cæterum immortalitate prope Deo par atque conſimilis. Namque vbi animus, qui rectè vixit, exceſſit è corpore, purgatis primum, ac poſitis quas contraxerat è corporis contagione ſordibus, mox liber cœlũ petit, illic cum ipſa trinitate & angelorum ac beatorum choris beatam ac perennem vitam traducturus. Quod cur ita ſentiam, latius explicari æquum puto, præſertim, quod hoc vno perſuaſo, cætera perſuaderi facile eſt, quæ de animi diuinitate tractantur. Ea verò de re non Theologorum modo noſtrorum, verum etiam antiquorum Philoſophorũ ſententiam breuiter referendam arbitror, eorum maximè, qui animos hominum diuinos atq; immortales eſſe dixerunt. Nam cęteri quidem Philoſophi tanquam humani generis peſtes atque contagia à diſputatione noſtra reiiciendi videntur.

Sunt qui dicant Pherecydem Syrum, primum omnium, qui extent, animorum immortalitatem affirmaſſe: Eam verò ſententiam à Pythagora auditore eius, non comprobatam modo, verum etiam diſſeminatam. Pythagoram autem ſecutus Plato, non ſolum in eadem ſententia permanſit, verum etiam, cur ita ſentiret, pluribus argumentis explicuit. Ariſtoteles autem in eo libro, quem de anima præclarum edidit, intellectum inquit, ſiue intellectiuam animam à corpore ſeparabilem eſſe: quemadmodum perpetuum à corruptibili. In eo verò libro, qui eſt de rerum cauſis, ſiue Ariſtoteles fuit, ſiue, vt quibuſdam placet,

placet, is Proculus fuit, omnem intelligentiam incorruptibilem & permanentem asseuerat secundum substantiam suam. Cicero autem animum ex eo maximè immortalem existimat, quia nullum animal sit, homine excepto, quod vllam Dei cognitionem habeat, aut religionem colat: quæ res vna declarat, nos ita cupere, quod nobis familiare futurum sit. Quid nostri & inprimis Paulus sapientiæ ac religionis nostræ lumen eximium, debitores nos esse spiritui, non carni, inquit, vt ad appetitum eius viuamus; Qui enim ex appetitione ac sensu carnis vixerint, hos esse mortuos affirmat; qui verò carnis lasciuiam compescuerint, hos esse victuros.

Lactantius verò sempiternos animos hominum his argumentis probat. *Quemadmodum sonus, vox, ventus, à nobis non videtur, sed tamen hæc esse ex eorum vi atq; effectu percipimus: sic Deus, quamuis non intueamur oculis, mentis tamen acie nos eum ex operibus intueri posse.* Præterea magno diuinitatis animi argumento esse virtutem, quæ soli homini ex omnibus animantibus data sit, cuius gratia profectò homines nunquã sese tot laboribus ac periculis exponerent, quod est ipsius virtutis opus, nisi per illam se ad immortalem veramque vitam euasuros confiderent.

Augustinus animam ratione præditam naturâ mori non posse confirmat, quoniam corruptionem non recipiat. Atq; ex verbis Platonis & Porphyrii sic argumentatur animæ immortalitatem: *Plato, inquit, animas post discessum a corpore iterum redituras ad corpora; Porphyrius vero nunquam ad misera: constare igitur, si hæc redibunt ad corpora, sed non misera, eas ad gloriosa corpora reuersuras esse. Hieronymus autem diuino vir ingenio, animas definiens, hanc esse inquit hominis vitam motumque ac sensum corpori exhibentem intellectu & immortalitate præditam, inuisibilem, præterea & inlocalem semper se mouentem. Hanc ex eo, quod corpus vegetat, animam, quod contemplatur Spiritum, quod cernit, sensum, quod sapit, animum, quod intelligit, mentem, quod discernit rationem, quod consentit, voluntatem, quod recordatur, memoriam appellat.*

Nec Gregorius quoq; de hac ipsa immortalitate conticuit. *Nam quæ lingua, inquit, vel quis intellectus capere sufficit illius supernæ ciuitatis, quanta sint gaudia, in quibus tum alia plurima, tum hoc in primis mortis metu non afficiat, incorruptionis perpetuæ munere lætari.* Cæterum non autoritatibus modo, verum etiam rationibus quibusdam immortalitas hæc probari aliquo modo potest. Videmus primum omnes homines natura duce felicitatem expetere. Esse videretur inanis appeti-

tio hæc, nisi illam aliquando homo adipisci posset. Si verò animus interiret, quonam modo beatus fieri posset? Oportet enim immortalem esse, si felix sit futurus: ex quo effici videtur, animum hominis immortalem esse. Huc accedit: *Omne quod corrumpitur*, quemadmodum placet Aristoteli, *in id resoluitur, ex quo genitum vel productum est.* Nullum autem eorũ, quæ sunt, in nihilum resoluitur, aut omninò interit. Corrumpi enim non est in nihilum redigi, sed in originem suam reduci. Nã dum corpus corrumpitur, quæ pars è terra est, in terram resoluitur, quæ verò ætherea, in ætherem, & item duo reliqua in elementa naturæ suæ congruentia. Nam si ita esset, vt anima corrumperetur, cum ex nihilo creata sit, ab opifice sapientissimo rursus in nihilum necessariò conuertetur. Sed hoc fieri nullo modo potest, vt in nihilum redeat, cum nullum sit productionis naturale principium. Neque enim ex materia composita est. Sequi itaque videtur animam immortalem esse. Cumque Deus ipse optimus atque iustissimus sit, æquum profectò ac dignum videtur, vt bonorum ac malorum rationem habeat, atque vt hos pœnis afficiat, illos debitis præmiis ob benefacta remuneret. Alioquin Deus ipse haud iustus censeretur, quod quidem existimare summum est nefas. Nam si mali hac vita mercedem suam accipiunt, potentiæ, opum, facultatum, viris bonis, qui ista negligunt, vt vitam cœlestem adipiscantur, quidnam mercedis, quid præmii fuerit, si omnia morte finiuntur? Quænam esset hæc stultitia vel dementia potius, grauissima quæque supplicia & mortem perpeti, si nulla alia vita sit, postquam animus è corpore discesserit, vbi religionis ac pietatis remunerationem sit percepturus. Nonne cæteris hominibus miserabiliores essemus, vt inquit Paulus, si tantummodo in hac vita speraremus? Sed iam satis multa de animorum immortalitate dixisse videor. Ex his namque satis constat, vt arbitror, non modo non emori animum, cum excedit è corpore, sed ad supernam atque perennem vitam, si pie, castè vixerit, dum fuit in corpore, non eius quidem meritis, neque enim tanti sunt, sed immensa ipsius Dei bonitate, demigrare. Vt autem ad id redeam, vnde digressus sum, censet præclarus ille Sententiarum Magister, factum esse hominem ad imaginem & similitudinem Dei, ideo accipiendum, quod homini, vt dixi, data est mens, qua cunctis animalibus ratione carentibus antecellit: & ad imaginem quidem sapientiam, memoriam, caritatem; ad similitudinem verò innocentiam ac iustitiam referendam putat: quæ quidem in mẽte diuina sunt: aut certè per imaginem cætera, per similitudinẽ naturam intelligendam esse, quoniam immortalis sit

lis sit animus, nec diuidi omnino, nec solui possit. Idque ex Augustini sententia comprobat, qui in eo libro, qui est ab eo de Quantitate animæ scriptus, Animam inquit ad imaginem ac similitudinem Dei factam dicendam esse, quoniam immortalis & incorruptibilis. Et similitudinem ad naturam quidem, imaginem verò ad formam pertinere. Factus est autem homo ad imaginem & similitudinem, non solius Patris, non Filii, non Spiritus Sancti, sed totius Trinitatis: atque ita homo, quod ad animã spectat, ad imaginẽ Dei factus rectè dicetur. Imaginem enim Dei propriè esse dicimus in ipso Dei Filio Iesu Christo, Domino nostro. Ipse enim à Deo genitus, non factus est: æternitate, Maiestate, potestate Patri par, & nulla in re dissimilis. Homo autem à Deo factus est, non genitus, nec ei vllo modo æqualis & consimilis, siquidem imago nostra neque coæterna est, nec ex eadem substantia, ex qua Deus, sed ab illa diuina natura perquam longè distans. Dictus est ergo homo, ad imaginem Dei factus, non imago Dei, licet impropriè dici possit. Sed hæc missa faciamus. Quid illud, quantum declarat humanæ dignitatis excellentiam, quod cum Deus hominẽ faceret, faciamus inquit hominẽ, ex eo namque significari videtur, non tantum Patrem, sed vnà tres personas in creando homine conuenisse, cum quidem in cæteris animalibus procreandis, vnus tantum iubere videatur. Scriptum est enim: Et vidit Deus, quod esset bonum: & reliqua. Nec verò hoc, vt quidam putauerunt, referri potest ad angelorum choros; Neq; enim vna & eadem est imago ac similitudo Dei & angelorum. Haud enim Deo pares sunt angeli Maiestate ac potestate. Voluit itaq; summus Deus Trinitatem interesse in eius creatione, qui ad imaginem ac similitudinem ab eo crearetur, aut certe ad summæ deliberationis vim exprimendam à Deo dictum est, cum esset supremum animal, & omnium terrestrium principem dominumque facturus. Voluit enim & iussit hunc præesse cunctis animalibus, quæ terra, quæ mari, quæ cœlo alantur. Ait enim, & præsit piscibus maris & volatilibus cœli & vniuersæ terræ. Permagnum profectò imperium. Id verò homini datum, vt intelligat, tanta in se opificis beneficia vita & factis pensanda esse, & agnoscendum autorem suum, eumque sibi tota mente totoque pectore colendum ac venerandum esse, eiusque mandatis promtissimè atque impigerrimè parendum, virtutem capessendam, decus ac dignitatem spectandam, nec committendum, vt eum à quo tantam potestatem acceperit, re aut cogitatione quapiam offendat. Ad hanc porrò tam eximiam hominis excellentiam, accedit illa præclara, quod cum Deus hominem cunctorum

animalium pulchrius facere statuisset, corporis staturam huic dedit cæterorum animalium figuræ & formæ longè dissimilem: quæ quidē rationis & orationis capax tantæ animi nobilitati atque origini conueniret. Nam bruta quidem animalia ore humum spectantia, vt terram, ex qua essent procreata, conspicerent, hominem verò sublimem atque arrectum, & ad cœlum, vnde est ortus, oculis vergentem statuit. Idq; sapientissima atq; optima ratione videtur factum. Ea enim duntaxat, quibus est immortalitatis cura, os ad cœlum attollere, atque eius conditorem ac locum, quo iis eundum aliquando sit, spectare voluit: Ideoque eum pedibus tantummodo gradientem atq; subnixum effecit: linguamq; huic dedit, quo nescio an vllum donū admirabilius mortalibus datum sit præter sapientiam, quæ & sensa mentis & conceptas intrinsecus voces exprimeret, cuius præcipuè vsu à beluis maximè differremus. Sunt enim, quemadmodum rationis & ingenii, sic & orationis expertes. Et ea quoq; summa hominis dignitas habenda est, ex qua incredibilis quidam diuini erga homines amoris liquido appareat: quod scilicet Deus illi custodem angelum adhibuerit, qui eius ingressus dirigat, qui ad bonum, ad rectum, ad honestum cohortetur, qui ad cœlestium meditationem & curam, ad pietatem, ad religionem, ad sapientiæ amorem excitet atque inflammet. Nonne hoc videmus à bonis parentibus, qui facultatem habent, fieri solere, vt filios, scilicet ne quid errent, aut labantur, magistris committant, qui eorum regant vestigia, & ad virtutis opera instituant atq; informent. Quod autē angelus homini datus sit dux & adiutor, ex Pauli verbis clarissime patet. Ait enim de angelis loquens: *Nonne omnes administratorii spiritus sunt, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?* Atqui in Tobia legimus, Raphaelem, vnum è septem, qui semper Deo assistunt, vt eius mandata excipiant, atque exequantur, in terris, Tobiæ, cum mitteretur à patre, cui idem nomen erat, in Mediam, ad Gabellum, cui decem argenti talenta crediderat, ducem & comitem itineris fuisse, nec iter modo sibi demonstrasse, & à monstro marino, in quod incidit, seruasse, sed etiam ab vxore, quam cepit in itinere, dæmonem fugasse: reuersumque cum eo, Tobiæ patri luminibus capto, piscis iecore asso, quod ipse Tobiæ dederat, illitis oculis visum reddidisse, & ad postremum, quisnam esset testatum, ex eorum conspectu euanuisse.

Legimus in Daniele, quod Hieronymus ex Theodocione translatum asserit, angelum perduxisse Abacucum, quē ferre iusserat prandium Danieli Dei seruo, qui in Leonum lacum proiectus fuerat, Babyloniorum malignitate. Scriptum est enim: *Et apprehendit eum dominus*

minus in vertice eius & portauit illum capillo capitis sui, posuitq; eum in Babylonem super lacu Leonum in impetu spiritus sui: & clamauit Abacucus dicens: Daniel serue Dei tolle prandium, quod misit tibi Deus. Legimus & tres angelos Lot cum familia, quoniã seruus Dei erat, & mandata eius diligenter obseruabat, seq; maxime integrum ab illa nefanda libidine præstiterat, ex patriæ conflagratione liberasse, ducesq; sibi extitisse, donec cœlestis illius ignis atq; horribilis flammæ periculum euasere. Plurima huiusmodi exempla in medium afferrem, nisi id superuacuum existimarem, cum quidem in sacris codicibus plurima reperiantur. Quin etiam legimus regionis ac prouinciarum principatus tuendos angelis à Deo traditos esse, Gabrieli præsertim ac Michaeli: ex quo iudicari potest, quantæ sit curæ Deo optimo maximo humani generis salus. Præterea in eo libro, in quo beatorum vitæ memorãtur, frequenter legimus, nonnullos sanctos viros constitutis horis cibaria ab angelis accipere consueuisse: nonnullos etiam aduersa valetudine corporis affectos ab iisdem percuratos: eosdẽ obsequia in funera mortuis exhibere auditos, ac demum eorum animas persoluta officia in cœlum ferre conspectos.

Id verò quantum hominis præstantiam ostendit, quod ea permissa sit à Deo plerisque viris sanctis potestas, vt mortuos quosdam in vitam excitauerint, cito dæmones ex hominum corporibus expulerint, morbos absterserint. Hoc muneris dedit Deus Eliæ prius & aliis quibusdam religiosis viris: idque postea Dominus noster Iesus Christus: & in sese ostendit, & in Apostolis ac sanctis deinde confirmauit, qui ore eius vt est apud Euangelistam inquit: Quodcunque petieritis à patre in nomine meo dabit vobis: & rursum: in nomine meo dæmonia eiicient, serpentes tollent, &c. & reliqua. Quid hoc amplius angelis posse datum est; Fuit hoc profecto maximum. Hæc enim vis diuinæ Maiestatis est propria. Omitto alia miracula innumerabilia, quæ sancti viri in verbo ac virtute Dei effecere. Legimus enim in sacra historia, cæcis visum, claudis rectum corporis statum, lepra confectis, atque aliis aduersa valetudine laborantibus, salutem restitutam esse. Illa quoque non mediocris hominis excellentia habenda est, tantam ei potestatem à Deo concessam & datam esse, vt possit hominem vel vitæ cœlestis participem facere, vel ad inferos in perpetuum relegare. Voluit enim Christus Deus noster hanc potestatem summos habere pontifices, quos eius vicarios veneremur in terris. Ait enim Petro, quem primum Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ præfecit: Tibi dabo claues regni cœlorum; & quodcunq; ligaueris super terram, ligatum

erit & in cœlis, & quodcunq; solueris super terram, erit & solutum in cœlis. Quæ porro autoritas in eius successores translata, multis adhuc mortalibus saluti fuit, qui ob vitæ sordes ac scelera ad ima tartari pulsi forent, nisi essent à Pontifice seu eius vicario delictorum remissionem consecuti. Illud autem ad quantum hominis decus pertinere dixerimus, quod, cum Deus humanum genus redimere statuisset, primi parentis contumacia damnatum, vnicum eius Filium è cœlesti sede in terram descendere, virginis sanctissimæ vterum ingressum hoc humile ac mortale corpus suscipere voluit, & siti, fami, frigori cæterisque ærumnis obnoxium esse: &, quod mirandum est magis, cruciatus & mortem pati. At quam mortem? perindignam sanè atq; seruilem. O summam Dei bonitatem! ô ineffabilem benignitatem! ô donum eximium ac singulare! An potest aliud quippiam cogitari aut exprimi, quo manifestius indicetur immensa quædā Dei bonitas, atque in homines caritas, quam quod diuinitatē cum humanitate coniungere, quam quod eius filium eundē Deum ac Dominum nostrum, non tantum hominem fieri, sed & contumelias & mortem subire ipsius hominis causa dignatus sit? Quid enim prodesset homini hanc in lucem peruenisse, atque his humanis bonis & vita frui, si post animi & corporis solutionem in mortem ac miseriam incideret sempiternam? Quid enim poterat hæc vita iucunda esse cogitanti, se post mortem in tenebris & suppliciis semper fore. Hoc itaque munus cunctis meritissimo iure prætulerim, quæ quidem homini à Deo concessa sint, quod haud ei contulisset, nisi & hominem plurimum dilexisset, atque omnibus, quæ creasset in terris, dignitate prætulisset. Nec illud etiam silendum puto, quod ea vis homini diuinitus concessa fuerit, vt Deo sacra faciens paucis quibusdam verbis expressis efficiat, vt è panis substantia in Iesu Christi Domini nostri corporis, quod salutis nostræ gratia cruci affixum est, substantiam transeat, id quod profecto nec angelorum nec supernorum Spirituum cuiquam datum à Deo legimus. Nec id quoque prætermittam, Est enim inter cætera excellentissimum, quod in die illa horrenda, qua Christus Deus noster defunctorum animas resumtis corporibus ad iudicium excitabit, Apostolos quasi collegas quosdam sibi adhibere statuerit. Ait enim: *Amen dico vobis, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sedebit filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Atqui haud scio an hoc sit omnium maximum, quæ à Deo in homines profecta sunt. Nam si in hac vita neminem videmus potestate & autoritate esse ex-

se exæquare seruo suo dignantem, quanti est habenda illa Dei dignatio, qui omnium princeps & conditor, hominem, qui non modo seruus eius est, sed quem ipse è nihilo creauit, sibi parem in iudicio constituerit? Quis igitur hæc poterit dignis apud Deum, qui dedit, prosequi laudibus? quis meritorum magnitudinem æquare? quis gratiarum actione persoluere? Possem verò & alia quædam memorare, quæ ad hominis dignitatem accedere videantur, quæ quidem sibi si à Deo hac in vita mortali concessa sunt, nisi vererer, ne fortasse quibusdam hac in parte nimium diligens videar, si singulis siue quibusque referendis insistam. Sunt enim pleraque eiusmodi, vt sint nota omnibus. Quamobrem ad ea transire melius puto, quæ homini iustè viuenti, atque à diuinis legibus non discrepanti post præsentis vitæ cursum à Deo constituta sunt: de quibus quoniā plura dixi in eo libro, qui est à me de vitæ felicitate scriptus, pauciora nunc dicam. Illic enim cognosci poterunt, quæ ad hunc locum pertinebunt. Hæc verò eiusmodi sunt, vt longè ampliorem hominis dignitatem præ se ferant, quā cætera omnia, quæ sibi hac in vita diuinitus tributa ad hunc locū ostēdi. Illa enim priora, vix vnius æui, hæc autē sempiterna: neq; illa tanti æstimanda forent, quæ supra enarraui hominis bona, si postquam animus è corpore excessisset, huc atq; illuc incertus atq; errans sine requie vagaretur, nec vllum certū & sibi designatū haberet locum, vt defatigatus tandem conquiesceret. Quid enim ea hominem delectare possent, si sciret omnia eius bona, vnà cum ipsa vita breui atq; incerta interitura esse? Neq; enim bestiis multum præstare videretur, si ab his solum in præsenti vita differret. Nec porrò dignitas eius tanta omninò foret, si nihil dignum post mortē remaneret, quod eius pristinæ dignitati respondere videretur. Hæc igitur pars mihi reliqua est, quæ quidem eo plus difficultatis habet, quo iis de rebus locuturus sum, quæ à conspectu & sensu nostro sepositæ, ne mente quidem & ratione humana satis percipi possunt. Neq; enim quisquam nisi diuina sapientia præditus intelligere hæc aut iudicare rectè potest. Haud enim ea, vt inquit Augustinus, oculis vidi, & quæ viderim, quasi certus testis, referre possim. Verumenimuerò ea certi testimonii apud eos vim habebunt, qui re, non tantum nomine Christiani erunt. Hi enim qui rectè credunt, quæcunque aut à Prophetis, aut ab Apostolis, à religionis nostræ fidei doctoribus tradita sunt, de animorū felicitate post mortem vera esse non ambigent. At ne hîc longior sim, quam res postulet, ad id, quod institui, pergam. Non igitur dicam de perpetua beatorum incolumitate, quæ nullum amplius in morbum incidere poterit, nulla

physici ope, nulla arte, aut consilio egebit; non dicam de eorum perpetua iuuenta, quæ semper in eodem ætatis flore, ceu Christus ille optimus magister cepit discipulos docere, teste Paulo, permansura est, nec vnquam consenescit; non dicam de omni rerum copia, quæ nullum vnquam beatis fastidium allatura sit; non dicam de amplissima eorum libertate, quæ erit ab omni onere ac necessitate libera; non dicam de eorum specie, in quorum corporibus nulla omnino deformitas, nulla menda reperietur. Nō dicam de perenni pace, quæ erit in illa Dei ciuitate, vbi nullus armorum strepitus, nullus belli terror audietur; non dicam de honestissimo & fructuosissimo otio, quod nullus labor, nullum amplius negotium inquietabit; non dicam de caritate & consensu mutuo, quo sese inuicem beati cōplectentur, atque deuincient. Hæc enim in eo opusculo, quod ante dixi, sunt à me satis diffuse tractata. Sed explicabo, si potero, quibusnam gaudiis afficiantur beatorum animæ, postquam in cœlum commigrarint. Etenim cum complector animo, cumque gaudiorum non mediocrium genera in illa diuina ciuitate & cœtu reperio: quorum illud primum iure dixerim, Dei scilicet intuitum, cuius quidem rei potestas in fidei remunerationem nobis à Deo data est. Nam quemadmodum angeli pro sapientia iis diuinitus data Deum vident, ita & beatorum animæ, pro earum capacitate ac modo, visuræ sunt. Hoc verò est illud, quod inquit Apostolus: Ex parte scimus, & ex parte prophetamus, donec venerit, quod perfectum est, & nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem à facie ad faciem. de hoc quoque loquens Iohannes Apostolus ita ait: Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Vtrum autem per mentis, an per corporis oculos Deum spectaturi simus, quæri solet. Dubitandum non est, quin oculi nostri officio functuri sint, & per eos glorificatos. (Ita enim Theologi vocant) vel glorificata corpora visuri simus: sed illud minus dubitationem habere potest, quin etiam clausis oculis Deum intuituri simus. Nam si potuit Elisæus Propheta seruum eius à Naaman, cui lepram ademerat, absentem, ipso spiritu cernere munus accipientem, quanto magis omni terrena labe deposita purissimoque corpore spiritualia ipso spiritu licebit intueri, siquidem ea vis oculorum nostrorum fuerit, vt per eos etiam incorporea videamus? certè mentis visus longe acrior & perspicacior erit. Nam quod inquit Iob ad Deum, *in auditu auris mea audiebam te, nunc & oculus meus videt te, propterea despexi memetipsum & distabui, & existimaui me terram & cinerem esse*; quis dubitet hunc mentis & spiritus oculis Deum vidisse, licet

licet Augustino & de corporis oculis accipi posse videatur? Regem, Esaias inquit, in decore suo videbunt. Quod si de Christo in Maiestate diuina cōstituto prædixit, recte & de corporis oculis intelligi potest: Si verò de DEO, ad mentis oculos referri oportere existimo, quod quidem ex Pauli sententia facile iudicari potest: *Nos autem*, inquit, *reuelata facie gloriam Dei speculantes in eandem imaginem transformamur, de gloria in gloriam, tanquam a Dei Spiritu*: Nec aliter accipere debemus illud Psalmistæ præclarum: *Accedite ad Deum & illuminamini & facies vestra non erubescent.* Per fidem namque ad Deū itur, quæ haud dubie cordis atq; animi est, non corporis. Quod si dum in hac vita sumus mortali, mens est, quæ videt; (oculus enim instrumentum atque organum est, per quod mens ipsa cuncta discernit) quis abnuat verisimilius esse, vt spiritus, quā corporis oculis diuinam Maiestatem spectaturi simus. Videtur tamen Augustinus interdum in eam sententiam inclinare, vt & corporis oculis Deum visuri simus. Ait enim, *nos aut sic per corporis oculos Deum visuros, qui aliquid excellens ac menti simile habituri sint, quo incorporea ac diuina natura à nobis perspici possit: aut quod est intellectu facilius, ita erit nobis cognitus & perspectus ipse Deus, vt eum vicissim alter in altero, atque in se ipso, in nouo cœlo & in terra noua, & in omni persona, ac per corpora omnia, & in omni corpore visuri simus, quocunque spiritualis corporis oculos conuerterimus.* Quin etiam asserit nos alienas cogitationes visuros esse, & tunc impletum iri illud Apostoli: *Nolite ante tempus iudicare, donec venerit Dominus & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis, & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Cæterum vt futurum sit, siue cordis, siue corporis oculis, siue vtrisque visuri simus, Deum vtique visuri sumus, cuius quidem rei quem grauiorem testem quærimus, quam Christum veritatis Lucem, fontemque sapientiæ, qui, vt Euangelista scriptum reliquit, *Beati*, inquit, *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quis igitur possit, non dicam effari, sed tantum mente concipere lætitiæ magnitudinem, quam ex tam iucundo ac tam suaui Dei visu capturi simus? Anne exoptari ex omnibus aliquid potest, quæ venire in mentem queant, tali aspectu optabilius aut iucundius? Nam si cœli siderumque aspectus nos vehementer delectat, & monet quid insit in his admirabilius decore, quanto nos magis delectabit Deum intueri ipsarum rerum omnium solertissimum præstantissimumque opificem, in quo quidem insunt omnia quibus beatorum animi delectari posse videantur. Præterea nos ha-

rum humanarum ſcientiarum atque artium, quas tanto ſtudio perdiſcimus, ſi illius Sapientiæ omnium principis, cuius beneficio ad diuinarum rerum cognitionem accedere nitimur, cognitionis cupiditas nos ad ſeſe hac in vita pertrahit, quanto magis nos ad ſe rapiet diuinæ illius præſtantiſſimæ naturæ conſpectus atque agnitio? Denique ſi hæc terrena atque mortalia, aurum, argentum, gemmæ, imagines, cæteraque quæ habentur præclara atque magnifica, homines ad ſeſe pulchritudine ſua alliciunt ac retinent, quanto magis credendum eſt quod nos allicere ac tenere debeat diuinarum rerum ſpeculatio, quibus ea nulla ex parte comparari poſſunt. Ob hæc non immerito exiſtimare videtur Auguſtinus, quod ii, qui à paradiſo excluſi ſunt, mallent apud inferos eſſe perpetuo, ſi modo poſſent DEVM intueri, quam alibi vſpiam, ſi iis DEI conſpectu carendum ſit: quod & Chryſoſtomus videtur confirmare, grauiorem pœnam inquiens eſſe exiſtimandum, à diuino conſpectu ſequeſtrari, quam ad Tartara ima demitti. Id etiam ipſum teſtificatur Pſalmiſta his verbis: *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.* In DEI namque conſpectu & contemplatione beatitudo omnis noſtra continetur. Quid porro gaudii capiemus inſpectantes Chriſtum DEI filium, Dominum noſtrum, in hominis figura & forma angelicis choris præſidentem, cum in eo diuinitatem ſimul & humanitatem coniunctam intuebimur. Nam ſi patrem multo tempore non viſum peregrè redeuntem cupidiſſimè aſpicimus, quanta eſt futura illa iucunditas, quam ſuſcepturi ſumus ex eius aſpectu, qui omnium communis parens, vt nos ſaluos faceret, & æterno ſupplicio eriperet, vltimum ſupplicium ſubire ipſe non renuit, & id quoque nos profecto ſine modo delectabit, cum ſpectabimus ſanctiſſimam illam ac beatiſſimã virginem, aduocatam & nutricem noſtram, quæ ſalutem noſtram vtero tulit, atque vna cum ea Iohannem Baptiſtam, Apoſtolos ac Martyres inter angelorum ordines Chriſto Saluatori noſtro circumfuſos, quibuſcum omne æuum acturi ſumus. Sed quod DEI ad aſpectum attinet, ſatis ſit dictum. Gaudebunt item vehementer beati ob corporum, quæ integritati admirabili diuino conſilio ac poteſtate rurſum ſuſcipient, ſiue innouatione, ſiue, vt alii dicunt, glorificatione. *Reſurgent*, inquit Eſaias, *mortui, & reſurgent qui erant in ſepulcris, & lætabuntur omnes qui ſunt in terra.* Ea vero innouatio quatuor in rebus poſita eſt: claritate ſcilicet, ſubtilitate, agibilitate, & impaſſibilitate. Erent namque corpora noſtra adeo lucida, vt nihil omnino ſit in rebus

bus humanis, quod eorum splendori comparari possit: quem quidem fulgorem cum exprimere vellet Esaias, nec haberet, quod æquipararet, similitudinem Solis attulit, quo nihil lucidius oculis deprehendatur. Fulgebunt, inquit, iusti, sicut SOL in conspectu DEI. Hanc vero claritatem in beatis corporibus futuram ostendit Christus DEVS noster Apostolis tribus in monte, quem Thabor appellant, quando in eorum conspectu longe augustior humana forma ac diuinior apparuit: de quo quidem Euangelista inquit, Resplenduit facies eius, sicut SOL. Sicut SOL ait, vt dixi, cum nihil aliud ei occurreret simile, quo magnitudinem fulgoris exprimeret. Ea vero fuerit corporum subtilitas, vt nec portæ, nec parietes vlli obstare queant, quo minus quoquo velint, vno momomento penetrent. Hanc quoque siue subtilitatem, siue sinceritatem corporis indicauit Christus; ne pluribus exemplis immorer, cum ianuis clausis post eius Resurrectionem ad discipulos ingressus est. Quæ autem futura sit corporum agilitas, clare etiam ostendit Christus, antequam morte afficeretur, inambulans mari Galilææ siccis pedibus, vt periclitantes discipulos à morte seruaret. Significat enim hoc facto, beatos postquam corpora receperint, non maria modo ac flumina perambulare absque nauis vsu, verum & aërem absque alarum adiumento, & absque vlla defatigatione circumuolare posse. Quod autem pati iniuriam non poterunt beatorum corpora, ita manifestum videtur, cum elementorum grauitatem ac sordes posuerint, nec tactum omnino recipiant, vt ea de re differere hominis nimium diligentis putem. Erit quoque singulari gaudio beatis frequentia ciuium illius diuinæ ac sempiternæ ciuitatis, de qua quidem re Iohannes in Apocalypsi mentionem facit. Ait enim: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*; Videtur enim vitæ solicitudo haud parum felicitati detrahere. Lætabuntur autem beati non mutuo tantum conspectu, sed etiam angelorum; nec angelorum modo, sed etiam ordinum in quos diuisi sunt à sapientissimo ac iustissimo DEO, in quos & ipsæ pariter pro vitæ meritis referentur. Neque enim omnes in vno atque eodem ordine constituentur, sed alii aliis gradu superiores erunt. Nec tamen vlla fuerit inferiorum ad superiorem, aut parium ad parem inuidia. Erunt enim contenti omnes loco sibi à diuina iustitia designato. Quin imo tanta fuerit inter se consensio, vt quisque haud minus alieno quam proprio honore ac gloria gauisurus sit: quod est veræ & constantissimæ amicitiæ

proprium. Quid enim aliud est amicitia, nisi in omnibus rebus humanis ac diuinis cum mutuo quodam amore eadem voluntas, atque idem animus: quæ si in hac vita mortali dulcissima est, vbi tot periculis, neu dissoluatur, obnoxia est, quãto dulcior futura est illa cœlestis, quæ & secura est, & deleri nullo modo poterit. Neque enim irrumpere in illam diuinam ciuitatem cupiditas vlla poterit, quæ beatorum animos à mutua coniunctione & amore distrahat: quæ quidem res multis magnis amicitiis labem & perniciem attulit. Omnes namque beatorum cogitationes de DEI laudibus & communi quadam congratulatione fuerint. Nec erit quisquam omnium, qui alteri, vt dixi, præstare dignitatis gradu concupiscat. Ad hæc porro gaudia accedit cœlestis illius ciuitatis pulchritudo atque ornatus. Multum namque ad felicitatem conferre videtur, vrbis, quam incolas, species. Hunc vero locum cœlum Empyreum vocant, quod ignei sit splendoris. Id autem complectitur cœlum crystallinum, fixarum stellarum, cœlo, quod primum mobile alii, alii firmamentum nominarunt, circumiectum. Nam cum septem sint sphæræ, à Luna ad primum mobile, quæ omnes ipsius firmamenti vi atque impetu rapiuntur, hoc cœlum, quod dixi, empyreum atque idem crystallinum, immobile esse volunt: quoniam ibi sit DEI & beatorum sedes, quanquam DEVS ipse & in cœlo & in terra, & vbique totus existat. Scriptum est enim: Cœlum & terram ego impleo, ac si diceret: nullus est locus me vacuus: Propterea tantum & per excellentiam DEI sedes est cœlum. *Cœlum sedes mea*, inquit Esaias, *terra autem scabellum pedum meorum.* Hoc autem cœlum Empyreum pulchritudine ac nitore longe cæteris anteire asserunt, de quo non erit fortasse alienum quæ Iohannes in Apocalypsi memoriæ prodidit, breuiter referre. Illa vero est cœlestis Hierusalem, cuius imprimis fundamenta è duodecim prælucentium gemmarum generibus iacta esse scribit. Portas hanc habere duodecim, quarum singulæ à singulis margaritis confectæ sunt, mœnia vero quantum in circuitu patent ex aspide extructa esse, templum in ea nullum, quoniam DEVS omnipotens atque Agnus per quem Christum intelligimus, his, qui eam ciuitatem incolunt, pro templo sit: nec Solem præterea, nec Lunam in hac affore, quoniam illam claritas ac Lux DEI illuminatura sit, & lucerna eius futura sit Agnus, ambulaturas igitur gentes in eius luce, & reges terræ ei gloriam allaturos. De hac ipsa ciuitate Tobias hunc in modum locutus est: *Beatus ero si fuerint*

reliquiæ

reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem. Portæ eius ex Saphiro & Smaragdo ædificabuntur, & ex lapide precioso omnis circuitus murorum eius, & ex lapide candido ac mundo omnes plateæ eius sternentur: & per vicos eius alleluia cantabitur. Cum itaque hæc vrbs tam pulchra ac tam ornata sit, recte Deo optimo maximo ea sedes conuenit, & Domino nostro Iesu Christo, atque omni beatorum cœtui. Ibi enim Deum videbimus, quamuis vbique existat, vt dixi; propter incognitam atque infinitam eius magnitudinem, quem cœlum terraque capere non possunt. Quamuis autem beati in ea ciuitate collocati sint, non tamen erit hic locus eis à Deo circumscriptus: quemadmodum Thomę Aquinati placuit: quin cum velint egredi ac regredi possint; Nam si iis potestas non esset alio secedere parumper cum vellent, nę beati dici non possent, quoniã libertas sublata videretur. Non ausim negare eius sententiam vt viri sancti ac sapientis veram esse sed si spiritu & cogitatione omnia intueri possunt, qui in cœlo sunt, quod profecto possunt, si Deum vident, quid opus est, vt cœlo moueantur, ac terras petant, an vt delectabilia videant? quid potest cœlo & Deo esse delectabilius? an vt satietatem depellant? quænam loci satietas aut societas capere hos potest, vbi beatorum cœtus, vbi angelorum & archangelorum chori, vbi spiritus Sanctus, vbi Christus, vbi Deus Omnipotens? *Erit itaque his Deo permittente*, vt Thomas inquit, *& in hunc terrarum orbem, quem incolimus veniendi potestas: nec eos impediet cœlorum soliditas, (de qua Iob inquit: Tu fortis cum Deo fabricatus es cœlos, qui tanquam ex ære solidissimo sunt.) quo minus vno temporis momento in terras deuolent, & rursus in cœlis reuolent. Erit enim tunc terra defæcata, & omni corruptibili purgata & vacua facta. Nam post latam à Deo sententiam, damnatis in sempiternum cruciatum expulsis, hic terrarum orbis ita conflagrabit vniuersus, vt olim aquarum eluuione hunc obrutum legimus. In ea vero deflagratione elementorũ qualitates corruptibiles, quæ corporib. humanis conueniebant, exhaurientur omnes: quæ vero corporibus immortalibus congrue & consentaneæ fuerint, relinquentur ac supererunt, vt mundus purus per innouationem factus, renouatione per carnem hominum naturæ conueniat.* De hac vero innouatione Iohannes hunc in modũ inquit: *Et vidi cœlum nouum & terram nouam: Nam primum cœlum & prima terra recesserunt, & mare iam non est.* Itaque fortasse mirandum non fuerit, si quando beati in terram à Deo purgatam ac nitidam è cœlo descenderint, in qua nulli ventorum flatus, nulli imbres, nullæ tempestates futuræ sint. Desinent enim cœlorum conuersiones ac motus.

Erit autem omnis beatorum cogitatio vt Deum collaudent, vt illi pro tot ac tam immensis beneficiis acceptis gratias agant, idque lingua etiam & vocali voce facere poterunt, vt inquit Augustinus. Alioquin enim haud vera corpora esse viderentur, si linguæ vsus iis nullus esset futurus; eritque his ciuibus tanta diuinitus data sapientia, vt nihil prorsus fingi animo possit, quod eorum iudicium fallat. Nam si quid ignorarent, non vtique videretur eorum perfecta felicitas. Nemo enim ignorans potest felix esse. Habet enim adhuc quod expetat. Quod si agnoscent Deum, quid nescient? Agnoscent itaque se inuicem, agnoscent & angelos, quibus conciues & æquales pro vitæ meritis diuina accedente gratia facti erunt.

Nec iis iudice opus fuerit. Linguarum quoque omnium varietates iis claræ ac notæ erunt, vt nullo iam interpretis officio inter se egeant. Nec illa fuerit beatorum mediocris lætitia, cum cogitabunt quam maximis molestiis, quam innumerabilibus periculis, quam variis calamitatibus erepti fuerint, quibus hæc miserrima vita, quam tantopere cupimus, redūdat. Omnes, quēadmodum nautæ cū superata aduersa maris tempestate incolumes in portū peruenerint, gaudebūt quoq;, quod victis pręsentis vitæ voluptatibus ac terrenarū rerū illecebris, quibus perpauci mortales vix possunt obsistere, aditū in cœlum sint consecuti: nec minus lætabuntur, quod pœnis quibus improborum animæ vna cum corporibus afficiētur, Deo cōcedente, liberati fuerint, quib. nulla finem allatura sit ætas. Nec sane dolebunt damnatos apud inferos cruciari, etiamsi iis propinqui fuerint, quoniā diuinā iustitiam, quam suos vehementius amabunt, quæ vnicuique pro vitæ meritis vel præmia vel supplicia decretura est. Lætabitur iustus, inquit diuinus vates, cum viderit vindictā, & manus suas lauabit in sanguine peccatorum. Deniq; lætabuntur ex eo, quod minime timebunt amplius, ne in delicta incidant, propter quæ à Deo è cœlo depellantur. Deus enim piissimus cum illos omnino beatos esse velit, hos in eo proposito confirmabit, cooperante Spiritu sancto, vt iam nulla peccandi cupiditas eorum mundissima ac nitidissima pectora vllo modo penetrare valeat: quod & Augustinus pluribus verbis disseruit, & ego in opusculo altero, de quo mentionem paulo ante feci, satis me explicasse memini. Sic. n. & reliquos angelos confirmauit, qui Lucifero non sunt assensi, qui cadens è cœlo tertiam stellarum, id est, angelorum partem, vt scriptum est, de cœlo extraxit. Sed quoniam iis de rebus, ad quarum cognitionem fide magis quam ratione accedimus, mortalium nemo satis eloqui potest, imo nec angelorum quidē

vllus,

vllus, qui Deo propiores sunt, nec vlla corporis contagione aut pondere grauantur. (Nos enim tanquam cœci non visa referimus,) huic disputationi finem faciam. Satis enim quantum existimo demonstratũ est, hominis dignitaté atq; excellentiá ob ea quæ diuina prouidentia animo simul & corpori tribuit, primum in hac laboriosa & mortali vita, deinde in illa cœlesti, permagnã atq; admirandã esse. Nã cuius animus sit mente, sapientia, immortalitate, ac memoria, ac decentissimo & venustissimo corpore præditus, angelorũ deinde custodiæ demandatus, suscitandi in vitam hominis mortui, condemnandi & absoluendi ab inferis, consecrandi dominici corporis potestatem diuinitus nactus, & cum Christo Domino nostro in die illa metuendissima iudex futurus, cuius gratia ipse Christus Deus & Dominus noster in cruce mori sustinuit, & demum optãdissima illa diuinę ciuitatis gaudia sit percepturus, diuini scilicet conspectus, corporum renouationis, iucundissimæ beatorum consuetudinis, cœlestisq; ipsius orbis incredibilis decoris atq; ornatus, terrenarum illecebrarum, atq; infernorum cruciatuum declinationis; hũc quis neget ipsis angelis iure comparandum? Ad hunc vero gaudiorum ac sempiternę felicitatis locum, quæ ducat ratio breuis est, & vera præceptio. Ait enim Deus ille Magister: si vis vitam ingredi, serua mandata: quanquã absque diuina ope hoc fieri ab homine non potest. Ait enim: sine me nihil potestis facere: quod quidẽ confirmari videtur, hoc Prophetę dicto: qui coronat te in misericordia & miserationibus. Nostra enim merita haud quaquã tanti sunt ponderis, vt nobis iure possint æternam vitam exhibere, ex quo laudari solet illud Augustini præclarum *nullum credimus ad salutem, nisi Deo adiuuante peruenire posse.* Summa autem mandatorum omnium in caritate Dei & proximi haud dubie constat. Plenitudo enim Legis dilectio est, vt inquit Apostolus: & Christus in Euangelio confirmat. Hinc enim pendent Leges & Prophetæ: hac demum petitur cœlum via. Sed libet in fine huius opusculi, quod Deo iuuante ad exitum perduxi, illud clara voce exclamare: O stultas hominum mentes! O pectora cœca! qui excellentiæ ac dignitatis suæ immemores, hæc caduca & fluxa tanto studio sectantur. Alii enim voluptates amplexi & ventri, somno atque otio dediti, omnem humanam felicitatem in his positam existimant: alii congregandis diuitiis intenti atq; occupati, quas paruo admodũ tẽporis possessuri sint, & interdũ matura morte correpti, in medio vitę cursu relicturi, nihil pręter pecuniã expetẽdũ putãt, ac pro his adipiscẽdis nec fraudib. nec rapinis, nec latrociniis vllis parcunt. Alii honorũ cupidiores in quibus totã hominis

dignitatem ſitam cenſent, pro his comparandis nec modum vllum, nec modeſtiam ſeruant. Alii gloria ducti imperia ac poteſtates cunctis rebus humanis anteponunt: quibus ſeſe Deo ſimiles fieri putant, quod ius necis ac vitæ in homines habeant. Alii vero per cædes, per proditiones, perque omne iniuſtitiæ genus, principatus occupare non verentur, alienamque & ipſius patriæ interdum libertatem per ſummum ſcelus opprimentes, tyrannorum nomen ſubire non erubeſcunt, hique eo errore tenentur, vt iis liceat humana ac diuina iura regni gratia violare. Quanto autem ſatius eſſet, diuina complecti, & dū hac in vita ſumus, illa meditari atq; his aſſueſcere, vt antequā ad illā accederemus, omnia illa quæ agnituri ſumus, quaſi prouiſa & cognita haberemus. Nec tāti hæc mortalia facere, quæ in humano genere inæqualitatem atque inuidiam maxime pepererunt. Nam cum naſcēdi & moriendi conditione priuati regibus pares ſimus, media tantum vita, quæ perbreuis eſt atque incerta, diſpares ſumus. Simul vt dignitatis ſempiternæ, quam in illa ciuitate adepturi ſumus, iam nunc ſtudioſi eſſe videremur. Namque vt non omnes qui in aciem exeunt, corona ab Imperatore donantur, ſed hi modo, qui fortiter ac ſtrenue aduerſus hoſtes decertant, qui pericula ſubeunt, qui res difficiles atque aſperas aggrediuntur, qui hoſtili vallo ſuperato primi omnium in caſtra irruunt: ſic non omnes qui Chriſtianam fidem colunt, ſed ii tantum, qui contra haſce humanas opes atque illecebras armati ſeſe ab his inuictos caſtosque præbent; hoc tam eximio ac tam diuino dignitatis præmio digni habēdi ſunt. Quod vtinam præſentis vitæ curſu proſpere confecto adipiſci poſſimus. Amen.

FINIS.

Reſtit.

Pag. 115. verſ. 19 pro Adeus, lege Adnis Seianus.

IANNOTII MANETTI, ET HONOFRI PARENTI, FLORENTINORVM LEGATORUM oratio ad Alfonsum clarissimum Aragonum Regem, in nuptiali vnici filij inclyti Calabriæ Ducis celebritate.

DEMOSTHENES Græcorum & Latinorum omnium oratorum elegantissimus, Serenissime ac Gloriosissime princeps, Philippum Macedoniæ Regem, ad quem vna cum aliis quibusdam egregiis oratoribus legatus ab Atheniensibus mittebatur, tanti fecisse dicitur, vt ob immensam quandam ac prope incredibilem regiæ dignitatis simul atque admirabilis eloquentiæ venerationem, eius de se iudicium vehementer vereretur; atque ita extimesceret; vt solennem & præmeditatam orationem, nedum totam quemadmodum instituerat recitaret; sed cunctis admirantibus obmutesceret. Quod si ita est, ceu ab optimis auctoribus scriptum fuisse cõstat, non immerito suspicati videbamur, ne nobis Florentinorũ nomine coram Alfonso maximo & clarissimo Rege inpræsentiarum oraturis, pariter similiterque contingeret, vt illi quondam celebrato totius eloquentiæ splendori apud Philippum pro Atheniensibus orare cupienti contigisse ferebatur. Nam si Philippus Macedoniæ imperabat, nondum tamen Græciam totam in ditionem suam redegerat. At tu pluribus amplis Aragoniæ & Siciliæ aliarumq; prouinciarum paternis & auitis regnis, hoc inclytum Apuliæ imperium tuis egregiis virtutibus partum mirabiliter adiunxisti. Si Philippus insuper præcipua quadam per ea tempora eloquentia pollebat, nos profecto Alfonsum celeberrimum nostri temporis Regem, non minus eloquentem asserere ac profiteri auderemus: præsertim si noua hæc secula rudia, & ab omni politiore elegantia pro-

pemodum abhorrentia, cum vetustis illis & eruditis temporibus cōpararentur: & nostra quoque infantia, cum illa immortali Demosthenis eloquentia quodammodo compensaretur. Quod si inclytum imperium tuum celebrato Philippi non iniuria dignius esse censetur, ac nimirum lōgius latiusque protenditur; & elegantia tua non inferior illius eloquentia, compensata temporum ratione, iure existimatur & creditur; merito, nequid aduersi nobis coram te orantibus accideret, quemadmodum supra diximus, suspicaremur, nisi diuinā ope, & admirabili ac pene incredibili maiestatis tuæ benignitate freti prompti & alacres ad dicēdum accederemus. Quas ob res in infinita Omnipotentis Dei gratia atq; in propitio quodam regiæ serenitatis fauore confisi, munus commissionis nostræ breuius, quoad fieri poterit, perficere & explere tentabimus. Qui enim coram te loqui præsumunt, magnitudinem & eloquentiam; qui vero timent, humanitatem & clementiam tuam ignorare videntur. Primo igitur Florentinorum præsidum mandata exequi atque absoluere cupientes, à salutationibus & cæteris huiusmodi faustis ominibus initium sumemus. nonnullas deinde tuarum rerum gestarum laudes, ne tibi adulari videamur, ieiune & exiliter attingemus Postremo de hac nuptiali vnici filii, inclyti Calabriæ Ducis, celebritate, admirabilique solemnitate totis animi & corporis viribus congratulabimur. Nos itaq; publico Florentinorum nomine, gloriosissime Princeps, maiestati tuæ salutes plurimas dicimus. Nos mentis & corporis tui incolumitatem diuturnam ac perpetuam fore exoptamus & cupimus. Nos Florentinorum genus, tanquam optimos filios & deuotissimos obsecutores tuos, tibi liberalissime ac largissime offerimus. Nos deniq; præsides nostros Senatum & vniuersum populū, vtpote humiles regalis dignitatis veneratores, & præcipuos quosdam personæ tuæ obseruatores, regiæ serenitati, quoad possumus, humiliter ac suppliciter commendamus. Prima igitur nostræ diuisionis parte breuissime, quemadmodum institueramus, absoluta: ad secundam de egregiis quibusdam admirabilium virtutum tuarum laudibus deinceps accedamus. In quo quidem latissimus nobis ad peruagandum campus ostenderetur, vbi paulo liberius vagaremur, nisi ad te loquentes adulationis crimen timeremus. Nam si de magnis Hispaniæ Hispanorumq; laudibus, à quibus continuatis successionibus regalem originem ducis, iuxta nudam & simplicem veterum historiarum narrationē explicaremus, dies nos profecto optime regionis pulchritudinē vbertatem & salubritatē ac præterea magnifica & gloriosa Hispaniensium gesta recen-

recenſentes deficeret. Quippe Hiſpania præter admirabilē quandam regionis pulchritudinē, & præter incredibilem cœli ſalubritatem, in omnia frugum genera ita fœcunda eſt, vt nō ipſis tantum incolis, verum etiam toti Italiæ abundantia ſufficiat. Tanta enim frumenti, vini, mellis, olei, lini, ſparti, minii, plumbi, æris & ferri, ac denique argenti & auri copiâ priſcis illis temporibus fertilis putabatur; vt plures hiſtoricos de his rebus ad ſcribendum compulerit, compulſoſque plurimum fatigauerit. Nec ſolum hæc felix & fauſta prouincia omnium frugum generibus abundabat; ſed etiam, nequid precioſiſſimarum rerū deficeret, pernicibus equis, & fortibus viris, præ cæteris regionibus floruiſſe traditur. Quid.n. equis omiſſis de Hiſpanienſiū virtutibus dicemus? qui & agilitate & fortitudine corporis & ferocitate animi cunctis nationibus præſtitiſſe credūtur. Nam his & huiusmodi virtutibus nō modo cum Romanis, aliarum gentium victoribus, grauia & diuturna bella geſſerunt, nec prius eorum iugum accipere potuerunt, quam Cæſar Auguſtus iam perdomito orbe terrarum victor, feros & reluctantes Hiſpanorum populos ad victricia arma tranſtulerit: Sed etiam poſt aliquot temporum curricula, variante fortuna vices, Imperium Romanorum commemoratis virtutibus pepererunt. Traianus namque & Adrianus, Theodoſius & Arcadius, Honorius, & alter Theodoſius, omnes ab Hiſpania oriundi Romanorum Imperatores fuere. At quales Imperatores? nempe vt paucis notam & tritam hiſtoriam prætereamus, potentiſſimi, litteratiſſimi & humaniſſimi Imperatores extitere. Verū hæc de maioribus tuis hactenus dixiſſe ſufficiat: nunc ad te, cuius gratia ſermo inſtitutus erat, parumper reuertamur. Alfonſum inclytum Aragoniæ & Siciliæ atq; Apuliæ, multarumq; aliarum prouinciarum Regem, ne à præclaris maioribus ſuis vllatenus degeneraſſe videretur, ad naturalia quædam mentis & corporis excellentiſſima dona, tantas vtriuſque vires continuis & aſſiduis exercitationibus adiunxiſſe conſtat; vt & famem & ſitim, & ſomnum & cuncta quæque diſcrimina mirabiliter aſpernaretur. Nullis enim algoribus, nullis æſtibus, nullis inediis, nullis lucubrationibus, nullis denique diurnis ac nocturnis, terreſtribus maritimiſque laboribus & periculis, vllo vnquam tempore deterreri potuit, quominus ſingula quæque ingentia & generoſa facinora cunctis animi & corporis viribus complecteretur: quod vno & ſolo ac profecto admirabili exemplo, cæteris, quæ pene infinita ſunt, breuitatis cauſa prætermiſſis, euidentiſſime demonſtrabitur.

Cum enim pluribus ante annis, gloriosissime Princeps, hoc inclytum Apuliæ regnum omnibus modis recuperare statuisses, magnam illam & celebrem classem præparasti, vt maritimo itinere votis tuis facilius potireris. Cæterum cum res magna & ardua, aduersante fortuna, Maiestati tuæ nequaquam succederet, alia via aggrediendum ratus, non multo post terrestre iter assumsisti, magnisque legionibus & exercitibus comparatis, hanc nobilitatam vrbem, totius regni caput, altis mœnibus, & pluribus validis tam domesticis, quam externis quoque defensoribus permunitam, post longam tandem obsidionem (mirabile dictu) in ditionem tuam redegisti. Nam præter ingentem quandam oppidanorum multitudinem, magnum Gallorum præsidium repugnabat, qui tutandæ vrbis, ne abs te expugnaretur, curam defensionemque susceperant. Vnde cum eam ipsam diutius obsideres, & plura inter obsidentes & obsessos prælia frustra tibi commissa fuisse constaret, veteri Bellisarii via agendum arbitratus, de ipso Bellisario magno Romanorum consule, dudum Vandalorum victoria celebrato, quosdam egregios milites tuos admonuisti. Legeras quippe in veteribus historiis, Bellisarium Iustiniani Imperatoris litteris propterea è Sicilia in Italiam euocatum, vt Gothos exinde, complures iam annos commoratos, exigeret, hanc inclytam vrbem diu antea obsedisse, & demum post diuturnam obsidionem per exteriorem aquæ ductum, vnde aqua introrsus ferebatur, milites suos transmisisse, ac perinde cepisse intellexeras. Milites admoniti, per eundem aquæ ductum, reliquis exercitibus tuis prope mœnia euentum rei expectantibus, noctu in vrbem penetrarunt, atque confestim magnis hinc inde vociferationibus omnia compleuerunt. Quo signo accepto, exteriores exercitus tui clamores quoque ingentes ad sidera tollunt. Quid plura? cedunt vigiles, *portisq; patentibus omnes, Accipiunt socios, atq; agmina conscia iungunt.* Per hunc itaque modum, quanquam inter magna oppidanorum & Gallorum præsidia incauta & attonita, & exercitus tuos, grauia quædam hinc inde prælia committerentur: ad extremum tamen Galli omnes ad vnum, vt saluti suæ consulerent, oppido egressi aufugerunt. Tu vero instar Bellisarii, post mille circiter annos gloriosissimo triumphantium Romanorum more vrbe potitus, victoria humanissime vti voluisti. Nullum enim Neapolitanorum positis armis interfici aut capi permisisti: virgines & mulieres omnes integras & intactas maritis parentibusque restituisti: ac paulo post omnia belli vulnera sanasti, & quę armis hinc inde frementib. iampridē dilapsa fuisse videbantur,

tur, ea feueris fanctionibus iunxifti. Ius enim erat in armis, & leges timore opprimebantur. Quibus quidem tam bellicis & tam diuturnis vulneribus nemo præter te mederi potuiffet. In vnumquodque infuper genus hominum multa & varia largitatis, & liberalitatis, ac beneficentiæ figna oftendifti. Cum igitur cæteræ huius inclyti regni ciuitates caput fuum captum, & abs te accuratiffime feruatum fuiffe intelligerent, ceu generofa quædã integerrimi corporis membra, non vlterius cunctandum ratæ, regiæ Maieftati fefe fuaque omnia dediderunt. Quocirca hoc totum amplum & inclytum Apuliæ regnum gloriofiffime fimul atq; humaniffime in ditionem tuam redegifti. De frugalitate vero, & humanitate, ac liberalium artium eruditione, quibus priuatis & non regiis virtutibus, Fortitudo, Iuftitia, Seueritas, Grauitas, Magnanimitas, Largitas, Liberalitas & Magnificentia, fuperiores regiæ virtutes tuæ, conditæ & illuftratæ cernuntur, quoniam prorfus filere, quam pauca dicere fatius effe cenfemus; perpetuo filentio præteribimus. Nullius eft enim tantum flumẽ ingenii, nulla dicendi aut fcribendi tant avis, tanta copia, quæ nedũ & cætera huiufmodi eximia & pene incredibilia virtutum tuarum munera exornare, fed ne vix enarrare poffit. Quonam igitur modo tanto & tam potentiffimo ac tam clariffimo Regi, in hac tanta & tam admirabili harum regalium nuptiarum folemnitate, digne congratulabimur; quod erat tertium noftræ diuifionis membrum: vnde decens congratulationis noftræ initium fumemus? quoufque gratulabundi progrediemur? vbi præ gaudio exultantes & iubilantes confiftemus? De ea enim congratulatione dicimus, quæ præfenti illius Regis celebritati congruere & conuenire videatur: cuius antiquiffimum genus à Regibus oritur: cuius virtutes innumerabiles prædicantur: cuius imperium per magna & celeberrima regna longe lateque protenditur. In hoc loco quoniam conuenientem exitum, in tantis præfertim temporis anguftiis, reperire poffe diffidimus; ordine artificiofæ orationis prætermiffo, paucis & velut ex tempore perorabimus. In hac itaque tanta & tam inufitata felicitatis tuæ magnitudine, gloriofiffime princeps, publico legationis noftræ munere, quoad poffumus, cunctis animi & corporis viribus, quemadmodum præfati fumus, congratulamur: atq; hoc folemne & memorabile coniugium, ita felix, ita fauftum, ita fœcundum fore exoptamus & cupimus; vt ferenitas tua generofam & claram exinde fobolem natam contẽpletur & videat. Quod fi non Hymenæo, iuxta fallacem illam & inanem gentilium poetarum opinionem, nuptiarum Deo, fed Do-

mino nostro Iesu Christo propitio contigerit, non modo præfatam serenitatem tuam cum antiquis regibus, & claris tam domesticis quã externis imperatoribus comparabimus; sed in omnibus prosperitatis cumulis plurimũ præferemus. Quis enim illorum priscorum Principum ad excelsam quandã potentiæ suæ magnitudinẽ tantum bonorum omniũ cumulum adhibuisse creditur? tu.n. virtutibus tuis prætermissis, ab antiquis regib. ortus, plura & ampla regna gubernas; tu fratres, tu cognatos magnos & illustres Reges habes: tu liberos seruatis tibi pluribus regnis, regiis insignibus condecorare & illustrare potes. Si præclaram igitur sobolem ex hoc tanto & tam admirabili vnicĩ filii tui coniugio tibi nasci contigerit, & tu nepotes illos quorundam aliorum hæreditariorum regnorum reges constitueris, quale apud priscos illos & claros principes exemplum tui simile reperiretur, non sane intelligimus. Nullum enim neque in Hebræis, neque in Græcis, neque in Latinis codicibus legentes & peruolutantes, & vsque à creatione orbis repetentes, fuisse Regem reperire potuimus, qui fratres, qui cognatos, qui liberos, qui nepotes simul Reges haberet. Quas ob res, vt hæc tempora nostra admirabili quodam maiestatis tuæ priuilegio fulgere videantur, quo quidem prisca illa à dignis auctoribus tantopere laudata caruisse conspicimus, omnipotentem Deum piis precibus obsecramus, vt nepotes tibi ex hoc tam fausto & tam felici coniugio largiri & condonare dignetur. Quod si diuina gratia, quemadmodum speramus, euenerit; tu profecto ob admirabiles & pene incredibiles conditionum tuarum excellentias superius commemoratas, omnium antiquorum & nostrorum Regum fortunatissimus atque felicissimus non immerito existimaberis. Ac tunc vere felicissimus eris, si in hac tanta magnorum regnorum tuorum abundantia desiderio animi tui fines imposueris; vt Thessalus quidam nomine Cyneas, vir magni ingenii & eloquentiæ singularis, Pyrrhum celebratum Epirotarum regem admonuisse traditur. Nam cum illum ad Italiam inclynatum cerneret, nactus aliquando ocio sum, in huiusmodi sermonem adduxit: *Dic mihi Pyrrhe, Si Romanos egregios bello viros & multarum bellicosarum gentium Dominos superare Dii nobis dederint, quid tunc agemus?* Ad hæc ille, de re haudquaquam obscura, inquit, Cynea percontaris. Nulla enim neque barbara, neque Græca ciuitas, Romanis superatis, nobis resistere valeret; sed confestim Italiam totam haberemus. Cui Cyneas parumper cõmoratus ait; *Cum Italiam ceperimus, quid tunc agemus?* Et Pyrrhus nondum eius mente intellecta, proxima, inquit, Sicilia est, insula felix ac popu-

populosa. *Recte dicis*, ait Cyneas, *sed an finis militiæ nobis erit, Siciliam cepisse?* Sic percontanti Pyrrhus, Deus modo victoriam præstet, respondisse fertur: nam his veluti præludiis vtemur ad Lybiam & Carthaginem expugnandas: quibus quidem victis, nullus nobis hostis resistere poterit. Quod quanquam Cyneas Regi facile consensisset, interrogauit tamen; *Partis subactisque omnibus, quid tandem faciemus?* At Pyrrhus ridens, ocium, inquit, agemus, & quotidiana festiuitate, mutuisque sermonibus, & lætitia perfruemur. Cum ad hæc Thessalus illum adduxisset, demum in hæc verba prorupisse scribitur: *Quid igitur obstat, quominus nunc ista lætitia & ocio perfruamur? adest quippe nobis sine labore facultas eorũ, ad quę per sanguinẽ & molestias, & pericula nostra, & aliorũ nostrorum trucidationes & neces, peruenturi sumus.* His tam fidelib. ac tam sapientibus monitis Pyrrhũ profecto, vt ab incepto desisteret permouisset, nisi ab omni diuina religione prorsus abhorruisset. Quod de te tã pio ac tam religioso, & tam sapiente rege iure suspicari nõ possumus, prӕsertim cum dubios & ancipites semper fuisse bellorũ euẽtus, tua sapiẽtia prospexeris, & omnipotentẽ Deum iniquis & iniustis cunctorum tam antiquorũ quam nostrorum principũ cœptis, ex variis diuersorũ periculorũ casib. resistere animaduerteris: æquis vero & iustis Catholica & sincera fide opitulari & fauere credideris. Verũ ne hanc tantã & tam admirabilem regalium nuptiarũ solemnitatẽ, verbis duntaxat congratulantes, amplificare & celebrare videamur, Inclitæ Dominæ Isabellæ, nouæ coniugi, felici & beatæ nurui tuæ, prӕciosa quædã & non spernenda munuscula, in certũ quoddam fidelis congratulationis signũ, ex vrbe nostra detulimus. Hæc igitur habuimus, serenissime ac gloriosissime Princeps, oratorũ epilogo prætermisso, ne forte pluri. verbis delicatissimas aures tuas diutius obtunderemus, & ne fidelissimæ memoriæ tuę iniuriã inferre videremur, si membra orationis nostræ, quamuis hinc inde dispersa, in vnũ, velut epilogantes, colligeremus. Hæc inquã habuimus, quæ ad solemnẽ præsentis actus celebrationẽ, & ad perpetuam quandã & æternam generosi & gloriosi nominis tui amplificationem, in præsentiarũ diceremus; atq; alias quasdam cõmissionis nostræ particulas seorsum Maiestati tuæ opportunius exponendas cõmodiori & gratiori tempori reseruauimus. Omnipotentẽ Deum, & Iesum Christum Dominum nostrũ, piis & deuotis precibus iterũ atq; iterum obsecrantes, vt hoc faustum & felix coniugium diuturnum ac fœcundũ fore permiserint, & cuncta quæque Maiestatis tuæ honesta & optima vota perficere & obsecundare dignentur.



LEONARDI DATHI AD ALFONSVM REGEM Aragonum.

REx & Martis habes animos, & Pallados artes
Et quicquid Regi conuenit, vnus habes:
Arma, viros, gazas, plenis tentoria velis.
Viue diu. Viues arbiter Italiæ:
Arbiter & terræ: regaliaq; arma tenendo,
Auctor pacis eris, autor amoris eris:
Auctor compositi mundi. Nec deinde sonabunt
Aera, nisi cultus inter habenda pios.
Et non Aragonum quisquis clarissimus olim:
Non certet Pœnus callidus ille tibi:
Non magnus Macedo: quanquam traiecit Araxen,
Illustremq; Asiam subdidit imperio.
Iam Pyrrhi laudes cunctis delentur in oris:
Et iam Scipiadum gloria tota cadit.
Iam Cæsar debere tibi sese ipse fatetur:
Quod fuit ante suum, nunc erit omne tuum:
Alter vt Alcides referas, Alfonse, triumphos
Orbis, & extinguas quicquid in orbe mali est.
Sic Alfonse tuum tendes in secula nomen:
Alfonsi viua gloria semper erit.

IANNO-

IANNOTII MANETTI FLORENTINI ORATORIS ORATIO AD ALFONſum clariſſimum Aragonum Regem: De laudibus pacis Neapoli dicta.



I nunc primum, ſereniſſime ac glorioſiſſime princeps, penes Maieſtatem tuam legationis munere fungeremur; profecto in hoc orationis noſtræ principio trita illa & conſueta exordiorum forma, iuxta celebrata & peruulgata artis oratoriæ præcepta, plane & aperte vteremur. Sed quotiens legatos & oratores ad te miſſos & deſtinatos fuiſſe animaduertimus, totiens ſingularem quandam tuam erga nos beniuolentiam acquiſiuiſſe ac comparaſſe intelligimus: totiens quoque præcipuam ac pene incredibilem in audiendis vel maxime oratoribus attentionem tuam recognoſcimus: præſertim cum nos ſemel longo quodam ac prolixo ſermone in hoc ipſo loco, in quo nunc ſumus, alias coram Maieſtate tua perorantes, te ita accurate, ita diligenter, ita deniq; attente, vna cum multis aliis Principibus, egregiiſq; huius inclyti regni proceribus, audientem meminerimus: vt forte tres illas (pace cunctorum dixerim) muſcas nares tuas tunc æſtiuo tempore medio fere orationis curſu (mirabile dictu) importune admodum apprehẽdentes, vnquam antequam peroraremus, exinde abigere ac repellere obliuiſcereris: vſq; adeo tanta, ac tam vehementi attentione tenebaris. Quocirca hanc noſtram, vt breuiores ſimus, orationem abſq; vllis præfationibus, vtpote nobis ad captandam beniuolentiam & attentionem tuam minime neceſſariis, feliciter incipere, inceptamq; perficere & abſoluere cõſtituimus. Vbi fideli & accurato commiſſionis noſtræ officio, cuius ſumma in hoc ſolo præ cæteris conſiſtere ac reſidere videtur, vt Maieſtatem tuam ad cõtinuam & perpetuam pacis paulo ante nobiſcum initæ conſeruationem vel parumper exhortemur, penitus & omnino ſatisfacere cupientes, tria præcipua & ſingularia, quoad fieri poterit, breuius explicabimus. Primo namq; de egregiis quibuſdã pacis laudibus: de admirabilibus deinde quorumcunq; pacem colentium præmiis: poſtremo de glorioſa & felici fortiſſimorum ſimul atq; fortunatiſſimorum exercituũ tuorum aduerſus barbaras & immanes Medorum ac Perſarum, vel Parthorum & Maurorum gentes conuerſione referemus. Et ne forte

Præfatio.

pius & deuotus huius nostræ orationis cursus aliis quibusdam enarrandis aliquatenus impediretur; iccirco cũctis salutationibus, exhortationibus, oblationibus, ac cæteris huiusmodi recommẽdationibus penitus omissis, diuino auxilio, atq; præcipua illa & singulari tua erga nos beniuolentia freti, & faustis insuper Christianæ religionis omnibus velut spiritualibus telis armati, secundum præmissum partitionis nostræ ordinẽ, læti & alacres à pacis laudibus incipiemus. Latissimus nobis ad peruagandũ campus ostenditur, serenissime Princeps, si de singulis quemadmodũ proposuimus, paulo vberius tractare ac differere voluerimus: quod de industria vitabimus, veriti ne forte aures tuas, in magnis vel potius in maximis plurimorum regnorũ tuorum negotiis occupatissimas, longiori oratione nostra obtũderemus. De pacis igitur pulchritudine dignisq; laudib. principaliter tractaturi, ante omnia eam cunctarũ rerum humanarũ præclarissimam simul atq; excellentissimam dicere & profiteri nõ dubitamus. Pacem namq; omnium rerum nostrarum vltimum quiddã & extremũ semper fuisse, manifestum est, cum ad illam ipsam tanquam ad vltimum finẽ omnia referri videamus. Quæcunq; enim homines in hac nostra vita mortali operantur & agunt, ad pacem & quietem reduci referrique intelligimus. Nam omnia quæcunque facimus, etiam cum bella tractamus (quod mirabilius est) idcirco facimus, vt pace & ocio perfruamur: quippe ideo bellamus, vt in pace ac tranquillitate degamus. Huiusmodi tam claris & tam apertis rationibus, multæ omnium & Latinorum & Græcorum atq; Hebræorum celebratæ auctoritates cõuenire & consonare videntur. Sed vnico cuiuscunq; vel artis vel professionis liberalis testimonio, vel paucis allegationib. ne nimii simus, cõtenti erimus. Et vt à Poëtis incipiamus. Virgilius pluribus suæ Æneidos locis, & hoc solum & pleraq; alia circa laudationem pacis carmina ponit. *Pars*, inquit, *mihi pacis erit, dextram tetigisse tyranni.* Et Homerus in præclaro illo Odysseæ volumine, Vlyxem cunctorum Græcorum sapientissimum, totum pene terrarum orbem per diuersa maria ac maritima pericula indagantẽ inducit. At postquam diu multumq; satis superq; satis ipsum plurima, scopulosissima & asperrima loca vndiq; peragrasse facit; tandem Ithacam patriam suam, insulam paruam, & velut auicularum nidum saxo & scopulo affixam, requiescẽdi gratia famæ & gloriæ & ipsi immortalitati prætulisse scribit. Liuius deinde & Herodotus, alter Latinorũ, alter vero Græcorum historicorum parens & Princeps, varia bella à diuersis Principibus, vt in pace & ocio degerent, gesta fuisse referunt. Accedunt Oratores, quorum Demosthe-

Narratio. *Virgilius.* *Homerus.* *Liuius.* *Herodotus.*

mosthenes & Cicero principalissimi atq; eloquentissimi, Athenien- *Demosthenes.*
ses cum Philippo potentissimo Macedonum rege tot annos bellige-
rasse tradunt; vt liberi & nō alieni iuris facti, facilius in suo ocio suaq; *Cicero.*
tranquillitate conquiescerent. Et idē Cicero quodam loco verba hęc
ponit: *Dulce est nomen pacis, effectus vero salutaris.* Et alibi ita inquit:
Quare suscipienda quidē bella sunt ob eam causam, vt sine iniuria in pace viuatur. Et paulo post subdit: *Mea quidē sentētia, paci, quæ nihil sit habitura insidiarū, semper est consulēdum.* Philosophi sequuntur: quorum
Seneca & Aristoteles (bona venia omnium dixerim) principes ac ma- *Seneca.*
gistri, pacē cunctis rebus humanis præferre atq; præponere non du- *Aristoteles.*
bitarunt. Nam vterq; pluribus librorū suorum locis tantū paci tribu-
isse videtur, vt homines negociari vt ociētur, & bella gerere, vt in pa-
ce viuatur, plane & aperte asseruerit. Atq; hæc de profanis tā Græcis
quam Latinis scriptoribus, Hebræis duntaxat omissis, quoniā huius-
modi Ethnicis auctorib. omnino caruisse perhibentur, in vnum col-
legisse contenti, ad Catholicos Ecclesiasticosq; doctores propterea
paulo latius & vberius accedemus, quoniā celebratos sacrarum rerū
scriptores tātæ auctoritatis & potestatis fuisse nouimus, vt diuina ve-
ræ sapientiæ oracula edidisse & protulisse videantur. Moyses diuinæ *Moyses.*
legislator, quin imo Deus per Moysen, legalia præcepta vel Israëliti-
co populo vel potius toti humano generi idcirco tradidisse existima-
tur & creditur; vt in pace ac tanquillitate viuētes, omniū rerum crea-
tori maxime gratificarentur; quod nonnullis Pentateuchi sui locis
manifeste expressisse videtur, vbi ita dicit: *Ecce do pacem fœderis mei, & erit tam ipsi quam semini illius pactū sacerdotii in sempiternum.* Et ali-
bi: *Dabo,* inquit, *pacem in finibus vestris; dormietis, & non erit, qui exterreat.* Esaias quoq; de hoc eodem loquens, in hunc modum excla- *Esaias.*
mat: *Quam pulchri super montes pedes annunciantis & prædicantis pacem; annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion; Regnabit Deus tuus,* & reliqua. Dauid insuper in omnib. pene Psalmis suis pacē *Dauid.*
laudare & cōmēdare nō desinit. Quid vero Prophetis omissis, de Eu- *Euangelista*
angelistis Apostolisq; dicemus? nōne pacē cæteris reb. ex plurib. Iesu *Apostoli.*
Christi Domini nostri præconiis & oraculis prætulisse cognoscimus?
quandoquidē ipsum Apostolos salutantē, ac semper & omni tēpore
his verbis, *Pax vobis,* dicētē referūt: & quādocunq; ēt illū eis præcipi-
entē inducunt, in hunc modū locutū fuisse dicunt: *In quācunq; ciuitatē aut castellum intraueritis; interrogate, quis in ea dignus sit, & ibi manete, donec exeatis: Intrantes autē in domū, salutate eā dicentes: Pax huic domui; & si fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autē nō fuerit*

Paulus. *digna, pax vestra ad vos reuertetur.* Paulus præterea Apostolorum princeps, vas electionis, & magister gentiũ, in omnibus epistolis suis Augustinus. pacem laudare & celebrare nõ cessat. Augustinus deniq;, vt alios Ecclesiasticos doctores omittamus, pluribus librorum suorum locis, & præcipue in præclaro illo, de Ciuitate Dei, volumine, pacem præ cæteris laudans, verba hæc ponit: *Tale bonum est bonum pacis; vt in rebus creatis nihil gratiosius soleat audiri, nihil delectabilius concupisci nihil deniq; vtilius possideri possit.* Et alibi ita inquit: *Duæ sunt amicæ, Iustitia & Pax, quarum alteram omnes volunt, alteram vero nonnulli quandoq; recusare videntur. Nemo enim est, qui pacem nolit, licet plerią; reperiantur, qui opera iustitiæ negligere & contemnere videantur. Interroga quæso singulos quosq; homines, pacemne velint: vno ore tibi in hunc modum interroganti, genus humanum sic respondere non dubitabit: Pacem optamus, pacem cupimus, pacem amamus, pacem deniq; volumus, & cætera huiusmodi.* Sed hæc de egregiis quibusdam pacis laudibus, quemadmodum antea proposuisse videbamur, hactenus dixisse & prædicasse sufficiat: quod erat primum nostræ diuisionis membrum. Nunc vero de admirabilibus quorumcunq; pacem colentium præmiis deinceps persequemur. Si pacem omnium rerum nostrarum finem esse constat, vt paulo ante luce clarius declarasse & demonstrasse meminimus: nempe in ea ipsa humanam beatitudinem ac felicitatem consistere & residere manifestum est. Quanquam enim Philosophi de felicitate differentes, multum inter sese de vera eius diffinitione dissensisse & discrepasse videantur: in hoc tamen vno omnes conuenisse & concordasse perhibẽtur; vt ad felicitatem tanquam ad vltimum & extremum omnia alia referantur; ipsa vero & propter se solam expetatur, & nunquam ad aliquid aliud reducatur. Tale esse pacem iure dubitari non potest: quod omnes tam Ethnici quam Ecclesiastici scriptores, auctoritatibus suis plane & aperte probare & attestari creduntur. Sed Ethnicis omissis, ad cœlestia diuinorum auctorum oracula, iuxta eundem prædictæ particulæ ordinem, parumper accede-Moyses. mus. Moyses ille primus & maximus Prophetarum, cum populum Israeliticum de barbarica seruitute & de ergastulo Ægyptiaco, & de sæuis & inhumanis Pharaonis regis manibus, per quadraginta duas illas asperrimas & celebratissimas eremi mansiones mirabiliter traducens erueret, in terram Hierusalem, quæ Hebraice *visio pacis* interpretatur, & in sacris eloquiis *terra promissionis* appellatur, tandem à Iesu Naue eius successore per multa miracula diuinitus introductus est, quæ quidem ab Omnipotenti Deo cunctis legaliũ præceptorum obser-

obseruatoribus in præmiis tantorum laborũ repromittebatur. Hanc promissionis terram, quam visionem pacis, ab Hebræis nostrisq; doctoribus recte interpretatam fuisse diximus, lacte atq; melle, vtpote suauitate ac dulcedine vndiq; refertam, sacra Prophetarum eloquia extitisse testantur. Esaias quoq; ob admirabilem & diuinam Prophetiæ suæ excellentiam, potius (vt inquit Hieronymus) Euangelista quã propheta, de præmiis pacificorum in forma Dei loquens: *creaui*, inquit, *fructum labiorum pacem; pacem inquam ei, qui longe, & qui prope est, dicit Dominus.* Dauid præterea ille, qui suam cæteris, dum dicebat, *super senes intellexi*, intelligentiam, iuxta celebrẽ & famosam Magistri sententiarum explanationem, prætulisse videbatur, de eisdem præmiis canens in hunc modum loquebatur: *Deus fortitudinem populo suo dabit: Dominus benedicet populum suum in pace.* Et alibi ait; *pax multa illis, qui amant legem tuam:* & circa finem libri carmina hęc posuit: *Lauda Ierusalem Deum tuum: lauda Deum tuum Sion; qui fortificauit seras portarum tuarum in te, & posuit limitem tuum in pace.* Sed hæc vetera & iam pene obsoleta omittamus, & ad Iesum Christum Dominum nostrum, & humani generis saluatorem, nouęq; & perfectæ legis conditorem veniamus; in cuius natiuitate pleriq; Angelorum beatis illis pastoribus, qui verbum in carne natum mortalibus oculis videre & contemplari meruerunt; his verbis exultantes & iubilantes apparuerunt: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bona voluntatis.* Et reuera quemadmodum annunciauerunt, sic postea contigisse scimus. Nam Cæsaris Augusti temporibus, quibus Christum natum esse non ignoramus, vniuersalem quandam per totum terrarum orbem pacem & quietem fuisse constat. Atq; hoc prædictorum Angelorum canticum sacrosancta Mater Ecclesia tanti fecisse videtur, vt quotidie in suis missarum solennibus commemorare & celebrare non cesset. Prius dein quam pateretur, cum in montem idcirco ascendisset, vt discipulos seorsum à turbis separatos, diuina quædam de vita æterna præcepta edoceret; *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati deniq; pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Quas ob res bonum pacis tale ac tantum bonum esse manifestum est, vt maius & dignius præmiũ cunctis

Esaias.

Dauid.

pacis cultoribus, quam quibuſcunque aliis quarumq; virtutum obſeruatoribus, à Chriſto redemtore noſtro tribuatur. Paulus præterea Apoſtolus ille, qui de conſcientia tanti in ſe hoſpitis loquebatur, *an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* omnes eius Epiſtolas in principio & in fine, gratia & pace, nõ temere & abſq; præcipua & ſingulari cauſa ſaliuiſſe & condiuiſſe creditur. Nam ad Romanos ſcribẽs, *Gratia vobis,* inquit, *& Pax a Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.* Ad Corinthios primo, & ad Corinthios ſecundo, eadẽ verba repetere & replicare non dubitauit. Ad Galatas; ad Epheſios: ad Philippenſes: ad Coloſſenſes: ad Theſſalonicenſes primo: ad Theſſalonicenſes ſecundo: ad Timotheũ primo: ad Timotheum ſecundo: ad Titum: ad Philemonẽ eiſdẽ propemodũ verbis paululum immutatis, cum abiectione interdũ miſericordiæ, & continua quadã perennis pacis reſeruatione vſus eſt. Quod cum ad Hebræos poſtea ſcriberet, idcirco prætermiſiſſe perhibetur, quoniam eos circumciſos fuiſſe intelligebat, & eorum ſuperbiam plane aperteq; cognoſcebat.

Paulus.

Auguſtinus. Auguſtinus deniq; cæterorũ doctorum celebratiſſimus, 19. de Ciuitate Dei libro, de pace loquens ita ſcribit: *Quapropter poſſumus dicere, fines bonorũ noſtrorum eſſe pacem ſicut æternã diximus vitam.* Et paulo poſt ita inquit: *Profecto finis ciuitatis huius, in quo ſummum habebitur bonum, vel pax in æterna vita, vel vita æterna in pace dicendus eſt.* Sed vt, quantum ſit bonum pacis, facilius ab omnibus poſſit intelligi; profecto tantũ ac tale eſt, vt etiam in rebus terrenis ac mortalib. nihil gratius ſoleat audiri, nihil deſiderabilius cõcupiſci, nihil poſtremo poſſit melius inueniri. Si omnes igitur cuiuſcunq; conditionis homines, ex duabus principalibus cauſis ſuperius à nobis cõmemoratis, pacem optare, pacẽ quærere, pacẽ deniq; habentes tueri & conſeruare debẽt: profecto id ipſum multo magis ab omnib. Regibus propterea fieri & celebrari decet; quoniam ab omnipotenti Deo, à quo omnẽ poteſtatem emanare & prouenire legimus, in admirabili huiuſmodi gubernatione, idcirco ordinati fuiſſe credũtur; vt nemini noceant, omnib. proſint, ſubditis obſequantur & indulgeãt. Quod manifeſto & claro quodam ſolertis naturæ exẽplo plane & aperte declarari poteſt: quæ apes vt iniurias propulſarent, ac ſi quando laceſſitæ & prouocatæ eſſent, ſeſe tuerentur, aculeis armaſſe veriſſime & certiſſime ſcribitur; cum ſolos earum reges inermes conſtituerit, atq; ſine armis in hunc modũ conſtitutos, imbelles & pacis amatores reliquerit. Quod ſi cũctos homines, ſi quoslibet principes, ſi omnes reges ad pacẽ natos, & ab ipſo Deo ordinatos & delectos fuiſſe non ignoramus; quid de tua

excel-

excellentiſſima præſtantiſſimaq; natura ſentiemus? An nos in hoc ſolo, quod cæteris terrenis & mortalibus bonis longe excellere ac præſtare intelligimus, de ipſa natura iure ambigere ac ſuſpicari poterim⁹? quæ admirabili quodam & inuſitato virtutū tuarum priuilegio, ita te exornare, ita te inſignire, ita deniq; te illuſtrare concupiuit & voluit, vt cæteri noſtri temporis Reges (pace cunctorum dixerim) omnibus naturalibus & gratuitis donis, ac rerum geſtarū gloria, mirum in modum abs te iam dudum ſuperati fuiſſe videantur. Duobus igitur noſtræ diuiſionis membris hactenus, vt potuimus, abſolutis: reliquū eſt, vt Maieſtatē tuam ad belligerandum aduerſus barbaras duntaxat & immanes Maurorum gentes parumper exhortemur. Si in hoc loco, glorioſiſſime princeps, à laudibus & commendationibus tuis vllatenus abſtinere valeremus, libentius faceremus: ne coram admirabiles ac pene incredibiles perſonæ tuę conditiones laudaremus, neue adulationis crimen ſubiremus. Sed cum ſine manifeſto quodam & certo commiſſionis noſtræ præiudicio, laudes & commendationes tuas in præſentiarum ſilentio præterire nequeamus: parce quæſumus ſi ad hanc vltimam & extremam exhortationē noſtram, non omnia, non pleraq;, non multa, ne tibi diſplicere, neue adulari videamur, ſed pauca quædā tantummodo de laudibus & virtutib. tuis pauliſper attigerimus. Deum nihil fruſtra facere, vera & celebrata omnium profanorum & Theologorū ſententia eſt. Si itaq; Deum illum, quē nihil fruſtra facere prædiximus, primum clariſſimo continuatorum regum Hiſpanorum generi magnas corporis, & ingentes animi tui dotes attribuiſſe videremus; ſi his deinde admirabilibus donis maximā quandam plurimorum regnorum potentiam adhibuiſſe intelligeremus; ſi tantis etiam talibusq; muneribus, fratres reges, liberos principes, & bonæ indolis nepotes adiecisse conſpiceremus; ſi prædictis quoq; omnib. incredibilē rerum geſtarum gloriā addidiſſe cognoſceremus; ſi exactam inſuper Latinarum literarum, & artis oratoriæ, & hiſtoriarum cognitionē dediſſe non ignoraremus; ſi piam præterea & ſeuerā religionē, ſanctimonia vitæ conditam illuſtratamq; adiunxiſſe cōcederemus; ſi deniq; infinitam gratiā ſuam in tot & tam inuſitatis tantarum rerum proſperitatibus accumulaſſe reſciremus, quemadmodū noſtris propriis oculis intuemur: profecto ipsū hæc & alia huiusmodi non temere & ſingulari cauſa tibi ſoli donaſſe & tribuiſſe iure putaremus; quæ nemini antiquorū vel modernorū Regū, ex diuerſis annalibus & chronicis libris quondam cōtigiſſe legimus. Quis enim vllo vnquā tempore fuit, cui tantū bonorum omniū cumulū eueniſſe videamus? Si ergo omnipotēs Deus & miſericors Dominus, te talem

tantumq; esse voluit, vt cæteris Regibus aliisq; principibus longe excellere & præstare videreris, & hoc ipsum non absque præcipua causa fecisse existimamus & credimus: consequens est, vt in hoc admirabili huius personæ tuæ opificio eius omnipotētiam plane & aperte demonstraret: atq; tali etiam tantoq; instrumēto diuinitus fabrefacto, ad ineffabilem gloriam suam, atq; ad salutem & honorem veri humani generis, & ad gloriosam Catholicæ fidei amplificationem mirabiliter vteretur: præsertim cum inter Christianos reges te solum esse voluerit, qui præter omnia prædicta maximam quandam hæc & huiusmodi operandi facultatem habere videatur. Hoc autem fieri non poterit, nisi felicissimos exercitus victricesq; classes tuas, ad gloriosissimam quandam barbararum gentium expugnationem magnanimiter feliciterq; transmiseris. Si vero ipsum efficere operarive concupiueris, primo infinitas laudes & innumerabiles commendationes ab omnibus Christianis populis reportabis: incredibiles deinde animi tui consolationes ex serena huiusmodi recte gloriosęq; factorum cōscientia nancisceris: Immortali deniq; Deo, supraquam dici potest, mirum in modum gratificaberis: ex quibus omnibus mortalia simul atq; perpetua vtriusq; vitæ præmia comparabis. Quapropter omisso oratorum epilogo, ne forte aures regias diutius obtundamus, & ne fidelissimo memoriæ tuæ thesauro iniuriam inferamus, si huius nostræ orationis membra hincinde dispersa in vnum colligamus; quātum possumus supplices rogamus, ac deuotissime obsecramus, quatenus pace cum omnibus Christianis populis ac principibus, ac maxime nobiscum, qui te diligimus, te obseruamus, te veneramur & colimus, conseruata prædictos exercitus prædictasq; classes tuas ad felicissimam & gloriosissimam barbararum gentium expugnationem conuertere ac transmittere digneris, vt commemorata mortalis & æternæ vitæ præmia consequaris, AMEN.

Atq; hæc habuimus, quæ in præsentiarum Maiestati tuæ exponeremus. Cæterum quædam alia restant, quæ alias, cum regiæ Celsitudini placuerit, opportunioribus locis & temporibus referemus.

FINIS.

